Epitome præceptorum DIALECTICÆ, in usum CLASSICORUM INFERIORUM EX INstitutionibus Logicis compendiosè collecta

à

CUNRADO DIETERICO,
PHILOSOPHIÆ MORALIS
Professore & Pædagogiarcha.

GIESSÆ,
Typis Nicolai Hampelii, Typogr. Acad.

M DC XIV.

LUDI-MAGISTRI & PÆDAGOGI SALVETE.

DEprehendi in aliquibus imparem in tradendis præceptis Logicis dexteritatem. Sunt namque qui omnia & singula præcepta, ea serie qua impressa, omnibus & singulis discipulis sine discrimine ediscenda proponunt. At isti ordine infrugifero imperitè admodum, non sine deploranda discentium jactura, procedunt. Quid enim prædicabilia & prædicamenta, quid canonū & elenchorum doctrina, quid præceptorum anomalia, exemplorum farragines, & aliena quàm plurima alia ad primos Logicæ elementarios? Hi qui ista injungunt, tàm apti sunt imperitæ juventutis magistri, quàm apti insulsi ad pulsandam cytharam asini. Apage verò è Scholis ineptos ipsos & insulsos asinos. Vos Ludi-Magistri & Pædagogi, si rectè discipulos vestros informare volueritis, hoc ordine procedite. Primis elementariis nihil præter nuda præceptorum rudimenta, ad unguem q. recitanda, diligenter primo semestri inculcate: Altero, simplices canones absque exceptionum anomaliis subjicite, & in his provectiores exercete. His fundamentis feliciter præsuppositis, reliqua demum quæ in Logicis supersunt, istis qui confirmatioris sunt ætatis ac judicii proponite, & ut verum eorundem usum intelligant, vestra industria providete. Hoc ubi ea, qua decet, fide ac discretione feceritis, singularem laboris & diligentiæ vestræ fructum animadvertetis. Vt facere absque impedimento possitis, Epitomen hanc in vestri & discipulorum vestrorum gratiam edidi: quâ, qui vultis & potestis, benè uti velitis.

Salvete iterum Ludi-magistri & Pædagogi atque valete.

BONÆ

BONÆ INDOLIS ET SPEI ADOLESCENTVLIS.

GUILHELMO ANTONII, Marpurgensi.
PHILIPPO-JUSTO VIETORI, Giessensi.
CHRISTIANO-LUDOVICO à CANTORAL, Wittenbergensi.
HELVICO DIETERICO, Kyrttorffensi.
PETRO-HERMANNO NIGIDIO, Marpurgensi,

Discipulis suis dilectis, S.

QVi in tradendis artium humaniorum disciplinis, hoc agunt, ut paucis, si non omnia, attamẽ quàm plurima, eáque maximè necessaria proponant, meo equidem judicio hoc agunt, ut miris modis discentium memoriam perficiant, ingenium excolãt, animos incendant, studia promoveant, literarum nauseam adimant, nec non fastidiosos ediscendi labores præscindant. Quantoperè namque prolixa & intricata docendi atque discendi ratio non tàm iuventuti Scholasticæ, quàm toti etiam Rei literariæ noceat, disciplinas obscuret, memoriam enervet, ingenia hebetet, animos emaceret, studia retardet, discentes conturbet, iisdémq; literarum fastidium detestando cum damno creet, vel illi soli norunt,

qui fideli cura ac diligenti industriâ imperitam inScholis pubẽ informant. Idem & ego meomet edoctus exemplo comperi: Ideóq;, non tantum antehac in gratiam provectiorum meorũ discipulorum Institutiones Logicas & Rhetoricas conscripsi, variisque exemplis, regulis, canonibus & observationibus pro ipsorum captu illustratas, in lucem edidi, sed & iam nunc in iuniorum in classibus inferioribus adhuc desudantium gratiam, brevem ex iisdem praeceptorum praecipuorum ac canonum epitomen compendiosa synopsi excerpere & evulgare volui. Id quod volui, communis postulavit utilitas, materiae suasit dignitas, discentium iussit commoditas, ipsa denique adegit necessitas. Vobis verò, discipuli & indolis & spei bonae, quod in specie Epitomen hanc Logicam inscribo, facit inter alia quàm plurima avitus praecipuè parentum vestrorum splendor, qui tum generis & eruditionis, tum rerũ in Ecclesiis & Academiis praeclarè gestarum nomine, apud omnes pios & bonos summo iure & honore est celebratissimus. Quis enim est nescius (ut horum prius, qui piè antehac vita in Christo defuncti, memoriam è superis q. revocem,) qui & qualis fuerit Hieronymus à Cantoral Valentianus, *Nobilis Hispanus*, Gregorii de Valen-

tia,

tia, *Iesuiticæ sectæ nostro seculo principis, germanus frater? Is quanquam in medio Papatu natus, & à Iesuitis à primis incunabulis informatus, singulari tamen illuminatione divina, veram Evangelii sinceri lucem agnovit, & ob intrepidã eiusdem confessionem adversa multa ab Hispanis passus, in Germaniam se contulit, ac tandem, non tam ob invictam fidei constantiam, quam excellentem variarũ scientiarum notitiam, Exoticarum linguarum Professor in illustri Academiâ* Wittenbergensi *à Sereniss. Electore Saxoniæ designatus est. Quam provinciam quanto cum honore administrârit, vel hoc uno indubitato indicio constat, quòd præmatura & insperata eius mors viris doctissimis & literatissimis perquam acerba extitit, memoria verò eiusdem adhucdum honorificẽtissima apud bonos quosvis extet. Quis ignorat, quâ fide, industriâ & dexteritate,* Jeremias Vietor, *S S. Theol. D. Ecclesiæ huius nostræ per annos plurimos pastor, & vicinarum Hassiæ superioris Superintendens vigilantissimus, officium suum, dum viveret, administrârit, & sic etiam post luctuosum obitũ magnum sui desiderium Ecclesiis nostris excitârit? Quis non videt, quam insigni cum honore & magno Rei literariæ fructu Academiæ huic nostræ ha-*

ctenus præfuerint, & etiam nunc præsint, duo Senatus nostri ocelli & lumina plusquam illustria, optimus ille Petrus Hermannus Nigidius, *I. V. D. Orat. Professor publicus, p. t. Rector Magnificus; & magnus ille* Gothofredus Antonii, *Academiæ Cancellarius Amplissimus, I. V. D. Antecessor & consiliarius Hessiacus primarius, Dd. fautores, collegæ ac respectivè adfines & compatres mei plurimum observandi atque dilecti? De* Johanne Dieterico, *non ita pridem Ecclesiæ Kyrttorffensis, nunc verò Butzbacensis Antistite dignissimo, germano meo ut & unico ita & dilectissimo, nil referam, ne si vel minimum referrem, mihimet ipsi & meis abblandiri velle, aliis viderer. His ergò Viris Magnificis, Ampliss. Reverend. Clariss. Doctiss. cùm in lucem hanc mortalem divina benignitate progeniti sitis, vestrum erit, ut laudatissimis ipsorum vestigiis insistatis, quo sicut nominis & possessionis, ita & virtutis, eruditionis & honoris aviti ac patriti genuini hæredes esse possitis. Poteritis autem ubi solidioris eruditionis fundamentis in artibus Logicis feliciter in classibus Pædagogicis iactis, suo olim tempore disciplinas superiores indefesso studio ac labore superstruxeritis. Cuius rei gratiâ cùm iam partim ad classes Logicas vestro merito evecti*

vecti sitis, partim in proximè futuris promotionibus ad easdem, Deo volente, transferri possitis, calcar vobis publica hac inscriptione addere volui, ut parentum vobis exempla ob oculos proponentes, maiori cum alacritate utilissimam præceptorum Logicorum scientiam, post veræ pietatis & religionis exercitia, ante omnia fideliter addisceretis, quò auspicatiori cum successu in cœpto studiorum vestrorum cursu provehi, ac tandem aliquando, Domino conatibus vestris piis feliciter annuente, augusta eruditionis solidæ penetralia laudabiliter ingredi, nec non familiæ vestræ famam virtute propria gloriosè extendere possitis. Quod ut ex parentum vestrorum voto, meo verò præceptorumq́ue vestrorum nutu fiat, faxit Deus ter Opt. Max. benignissimus Pater luminum, à quo omnis donatio bona & omne donum perfectum descendit desuper, benedictus in seculorum secula. Scribebam in Inclyta Hessorum GIESSENA, *ipsis Calend. Maji*, ANNO *à Christo nato* 1613.

V. P.

Cunradus **Dieterich**/ SS. Theol. D. Ecclesiæ Ulmensis Pastor & Superintendens.

EPITOMES Præceptorum Dialecticæ

LIBER I.

DE INVENTIONE.

CAPUT I.

DIALECTICA est ars ratione benè utendi. *Eodem sensu* & Logica *dicitur.*

CAPUT II.

1. Partes Dialecticæ duæ sunt: Inventio sive Inventrix; & Judicium sive Judicatrix.
2. Inventio est prior pars Dialecticæ de inveniendis argumentis.
3. Argumentum est, quod ad aliquid arguendum affectum est.

CAPUT III.

1. Argumentum est vel Artificiale & Inartificiale.
2. Artificiale est, quod ex sese arguit.
3. Estque primum, vel à primo ortum.
4. Primum est, quod est suæ originis.
5. Ortum est, quod à primis originem trahit.
6. Primum est Simplex vel Comparatum.
7. Simplex est, quod simpliciter & absolutè consideratur.
8. Comparatum est, quo res comparatione quantitatis & qualitatis considerantur.
9. Simplex est Consentaneum, vel Dissentaneum.
10. Consentaneum est, quod cum re, quam arguit, consentit.

11. Dis-

11. Dissentaneum est, quod à re, quam arguit, dissentit.

12. Consentaneum est vel absolutè, vel modo quodam.

13. Absolutè consentaneum est, quod absolutè cum re, quam arguit, consentit, ut *Causa* & *Effectum*.

14. Modo quodam consentaneum est, quod modo quodam cum re, quam arguit, consentit, ut *Subjectum* & *Adjunctum*.

Caput IV.

1. Causa

est argumentum absolutè consentaneum cujus vi res est.

2. Causæ sunt quatuor: 1. Efficiens. 2. Materia. 3. Forma. 4. Finis.

Causarum Generales sunt

Canones.

1. Omnis causa prior est suo effectu, *ut pater est prior filio, Gallina ovo.*

2. Causa notior est suo effecto.

3. Posita causa ponitur effectus. *Et*, Sublatâ vel cessante causâ, cessat effectus.

4. Qualis causa, tale etiam est effectum: & contrà.

5. Causa non est genere deterior suo effecto.

6. Quicquid est causa causæ, etiam est causa causati, ut *Avus tuus est causa patris tui. E. etiam est causa tui.*

Caput V.

1. Efficiens

est causa, à qua res est.

Ejus sunt hi Generales

Canones.

1. Nihil fit sine causâ efficiente. Quicquid *enim* est, ab alio est: *&*: Nihil est causa sui ipsius.

2. Omnis efficiens agit propter certum finem.

3. Causa efficiens nobilior est suo effecto.

2. Causæ efficientis sunt tres modi.

3. *Primus est*: Efficiens est vel Procreans, vel conservans.

4. PROCREANS

est, quæ rem efficit, (procreat:) ut,

Deus creavit mundum. Romulus condidit Romam. Sol procreat diem.

Procreantis sunt hi

CANONES.

1. Si causa procreans est, effectum etiam esse potest, ut; *Si sol est, dies effici potest.*

2. Si effectum est procreatum, à procreante procreatum esse necesse est. *Si dies est, à sole fit necesse est.*

5. CONSERVANS

est, quæ rem procreatam conservat ac tuetur, ut, *Deus mundum à se creatum conservat. Consules & Imperatores Romani Romam conservârunt.*

Conservantis est hic

CANON.

Si conservans est, effectum tutum & salvum manere potest: Et contrà. *Si Deus custodit civitatem, salva erit, sin minus peribit.*

CAPUT VI.

1. Secundus modis efficientis est: EFFICIENS vel SOLA efficit, vel cum aliis.

2. SOLA

est, quæ rem solam sine alterius adminiculo efficit, seu quæ sola effectum producit: ut, *Solus Deus potest remittere peccata. Christus solus nos redemit à peccatis. Solâ fide justificatur homo.*

Solitaria sunt hi

CANONES.

1. Solitariæ causæ solitarius est effectus, ut: *Sola fides nos justificat. E. & justificatio nostra soli fidei adscribẽda.* Itaq;

2. Cui tribuitur effectus solitarius, eidem tribuetur

&

& causa solitaria, & contrà. ut: *Christo tribuitur potestas remittendi peccata. E. & Deus sit necesse erit.*

3. CAUSA CUM ALIIS

est, quæ cum aliis agit, & ad producendum effectum concurrit, ut,

Natura, ars, exercitatio artificem faciunt. Imperator, exercitus, decuriones, centuriones, milites, &c. in obtinenda belli victoria laborant.

Ejus sunt hi

CANONES.

1. Partialis causæ partialis est effectus, ut: *In victoria obtinenda non solus Imperator, sed & milites sudant. E. nec soli Imperatori adscribenda.* Itaque

2. Ab unâ causâ partiali effectum totale inferri non potest: ut, *Ille habet bonum ingenium. E. est doctus.*

3. Positis causis sufficientibus in actu sequitur effectus, & contrà, ut: *Ille habet bonum ingenium, multos libros, præceptores doctos, & est diligens. E. erit doctus.*

4. Harum alia est Principalis; aliæ minus principales sive adjuvantes.

5. Efficiens PRINCIPALIS

est, quæ plus cæteris efficit.

6. MINUS PRINCIPALES seu ADJUVANTES sunt, quæ principalem adjuvant.

7. Ad adjuvantem refertur & instrumentum sive causa Instrumentalis.

8. Causa Instrumentalis est, cujus ministerio effectum producitur. *Sic Spiritus S. est causa efficiens principalis conversionis nostræ. Adjuvantes sunt Propheta, Apostoli & Pastores. Instrumentalis est verbum DEI & Sacramentorum usus.*

Harum sunt hi

CANONES.

1. Efficientis principalis principale est effectum: ut, *In conversione hominis principaliter Spiritus S. operatur. E. & conversio principale Spiritus S. effectum.*

2. Causa

2. Causa principalis non excludit causas minus principales sive administras: ut, non valet. *Pluviæ sunt causa diluvii. E. non Deus. Et vicissim. Deus est causa diluvii. E. non pluviæ.*

3. Causa adjuvans ad producendum effectum non est sufficiens; ut, *Multitudo librorum non facit te doctum.*

4. Positâ causâ minus principali unâ, non excluduntur aut removentur administræ reliquæ; ut, *N.V.C. Natura facit Poëtam. E. non exercitatio. Requiritur enim utraq;.*

5. Instrumentum totum subservit actioni principalis agentis, à quo dirigitur: *ut, calamus scriptorius vim habet pingendi literas: ut tamen hoc vel illo modo pingat, id omne à scribentis determinatione dependet.*

6. Essentia instrumenti consistit in usu.

7. Remotis & negatis instrumentis ad rem efficiendam necessariis, removetur etiam effectum; & contrà: Datis instrumentis effectum esse potest, ut: *Non habeo atramentum, neque pennam neque papyrum. E. non possum scribere: Pistor habet fornacem, farinam & lignum. E. potest pinsere panem.*

CAPUT VIII.

1. Tertius modus efficientis est; efficiens vel per se, vel per accidens.

2. EFFICIENS PER SE est, quæ sua facultate efficit.

3. Estque vel Naturalis vel voluntaria.

4. EFFICIENS NATURALIS est, quæ insita naturâ & facultate efficit, ut,

Magnes naturâ trahit ferrum. Ignis naturali virtute urit. Oculus videt. Auris audit.

Ejus hi sunt

CANONES.

1. Causa naturalis est determinata ad unum, ut, *Ignis non potest non calefacere.*

2. Naturalis causa uno & eodem modo se habens, agit uno & eodem modo, pro diversitate subjectarum mate-

materiatum, ut: *Sol semper indurat lutum; semper liquefacit ceram. Vinum semper calefacit. Ignis semper urit.*

3. Positis causis naturalibus sufficientibus & non impeditis, si sit admota materia, necessariò sequitur effectus, ut: *Stipula sunt conjecta in ignem. E. comburentur.*

5. EFFICIENS VOLUNTARIA est, quæ destinato consilio & liberâ voluntate efficit, ut, *Deus omnia fecit ex consilio voluntatis suæ. David sciens & volens adulterium committit.*

Ejus sunt hi

CANONES.

1. Causa voluntaria est libera & indifferens ad actionem. Potest agere & non agere: ut, *Pistor modò pinsit, modò non.*

2. Positâ causâ voluntaria, non est necesse poni effectum. *Non igitur V. C. Deus est ab æterno. E. & mundus. vel,*

A possibili ad inesse non valet consequentia, ut: *Bellarminus potest fieri Pontifex Max. E. est Pontifex.*

3. Voluntaria causa non posita in actu, non sequitur effectus: ut, *Architecto non ædificante, non fit domus.*

6. EFFICIENS PER ACCIDENS est, quæ alienâ facultate efficit.

Ejus sunt sequentes generales

CANONES.

1. Quæ per accidens fiunt, non sunt curæ arti. Causæ *enim* per accidens sunt infinitæ.

2. Ab eo quod inest per se, ad id quod per accidens accedit, non valet consequentia.

A causâ efficiente per se, ad efficientem per accidens N.V.C.

A causis per accidens N. V. C. ut, *Temperantia est bona* (per se.) *Febris affert Temperantiam* (per accidens) *E. febris est bona.*

7. Estque vel Necessaria vel Fortuita.

8. EFFICIENS NECESSARIA est, quæ necessitate & vi efficientem ad effectum cogit, ut,

ut, *Fur nolens volens à prætore ad carcerem trahitur. Eleazarus vi coactus carne suilla vescitur.*

9. CAUSA FORTUITA

est, cum præter consilium & propositum efficienti aliquid evenit. ut, *Vinitor plantans vineam effodiendo thesaurum præter intentionem suam invenit.*

Ad causam fortuitam refertur & *Efficiens* per *Ignorantiam & imprudentiam*, cum temerè imprudenter & ignoranter quid committimus.

Ut si quis telum collimet in feram: hominem autem eo in loco, ubi fera esse creditur, latentem occidat: Efficiens homicidii est per ignorantiam. Sic si super caput viatoris decidens bipennis illum occidat: Lignator est efficiens per imprudentiam, &c.

Causæ fortuitæ sunt hi

CANONES.

1. Quæ fortuna & casu fiunt, rara sunt, ut, *Rarissimè inveniunt Piscatores aureum tripodem.* Itaq;

2. A causâ fortuitâ N.V.C. ut, *Iste abiens Francofurtum invenit in via thesaurum. Ego abibo Francofurtum. E. inveniam etiam thesaurum.*

CAPUT VIII.

1. MATERIA

est causa, ex quâ res est. *ut, ex corio fit calceus, ex farina panis; ex panno vestis.*

2. Estque vel sensilis vel intelligibilis.

3. Sensilis est, ex quâ constat materiatum compositum.

4. Estque vel Compositionis vel Transmutationis.

5. Compositionis est, quæ actu manet in materiato: ut, *Aurum est poculi aurei materia actu immanens.*

6. Materia Transmutationis est, quæ non nisi potentia est in materiato: ut, *ex semine transmutato nascitur animal, ex sanguine generatur caro.*

7. Materia Intelligibilis est, ex quâ materiatum incorporeum constat. *Sic orationis materia sunt dictiones. Syllogismi materia sunt tres propositiones.*

Mate-

Materiæ sunt hi

CANONES.

1. Si materia est, materiatum esse potest, & contrà. ut, *Habeo farinam & aquam. E. possum pinsere panem.*

2. Remota materia permanente, removetur etiam effectum materiatū. *Aurum non est. E. nec poculum aureum.*

3. Posito effecto materiato permanente, ponitur ipsa etiam materia, ut *Mensa lignea est. E. lignum est.* Contrà autem posito effecto materiato transeunte, necesse est materiam ipsam præcessisse: ut, *Panis est. E. aquam & farinam adfuisse necesse est.*

4. Qualis est materia, tale etiam est materiatum. *Idola sunt ex lignis. E. & ipsa ligna sunt.*

5. Diversæ materiæ variant rerum dignitatem. ut, *Gemma preciosior est silice. Pannus Anglicus præstat Giesseno.*

6. Cui tribuitur materia, eidem etiam tribuuntur & partes & proprietates materiæ, & contrà. Ut, *Angeli non habent corpus. E. nec carnē, nec ossa* (partes corporis) *nec ire, nec dormire, nec vigilare possunt. (quæ sunt ꝓprietates corporis.)*

CAPUT IX.

1. FORMA

est causa, per quam res est, id quod est; ut, *Anima rationalis est forma hominis, quia per eam homo est homo, & simul ab aliis creaturis omnibus distinguitur.*

2. Forma est duplex: alia interna sive substantialis vel essentialis: alia externa sive accidentalis.

3. Forma interna sive essentialis est, quæ ipsam rei essentiam constituit, *seu*, quæ dat esse rei.

4. Estque vel singularis vel communis.

5. Singularis est, quæ incommunicabilis est, & certi individui propria. *Ut, forma hujus Petri, Pauli.*

6. Communis est, quæ aliis est communicabilis.

7. Estque vel Generica vel Specifica.

8. Generica est, quæ multis speciebus competit: ut, *Anima vegetans & sentiens est forma generica, quia tum homini tum bestiis communis est.*

9. Spe-

9. Specifica est, quæ multis individuis competit, ut, *Rationale est forma hominis, quæ multis individuis, Ciceroni, Petro, Paulo, &c. communis est.*

10. EXTERNA sive Accidentalis forma est exterior cujuslibet rei effigies: sic. *color corporis, scientia animi, figura exterior hominis, animalis, scamni, mensa, lapidis, &c.*

Formæ sunt hi

CANONES.

1. Posita sive affirmata forma substantiali, ponitur & affirmatur res ipsa: & contrà: Destructa sive negata forma, destruitur sive negatur res ipsa.

Forma enim dat esse rei: &: Per formam res est, id quod est. ut, *Bucephalus habet animam sentientem. E. est animal. Nabuchodonosori non est tributa forma bestialis. E. nec mutatus in bestiam.*

2. Forma simul est cum suo effectu (re formata.)

3. Unius rei unica tantùm est forma essentialis seu specifica.

4. Forma non variatur gradibus, non recipit magis & minus, nec majus & minus. *Rationalitas non est magis forma hominis in hoc, magis in illo.*

5. Formæ διαιρετικαὶ specificæ & propriæ non tollunt formam συστατικὴν communem sive generalem, sed eandem præsupponunt, *Sic sentiens in animali bruto non tollit vitam. Non enim sequitur: Sentit: E. non vivit. Forma humana corporis non tollit formam mixti.*

CAPUT X.

1. FINIS

est causa, cujus GRATIA (*propter quam*) res est.

2. Estque duplex, vel finis ȣ̃ Cujus: vel finis ᾧ Cui.

3. Finis ȣ̃ Cujus est, quem efficiens intendit assequi.

4. Estque principalis, vel minus principalis.

5. Principalis est, qui primariò ab efficiente intenditur: ut, *Procreatio sobolis finis conjugii principalis est.*

6. Estque vel ultimus sive summus, vel subordinatus (ultimo) sive intermedius.

7. Ulti-

7. Ultimus sive summus est, ad quem reliqui omnes referuntur: ut, *Gloria Dei, Artium; Benè ratione uti, Dialectica: benè loqui Grammatica: benè dicere, Rhetorica finis summus est.*

8. Subordinatus est, super quem est summus; *seu*, qui tanquam intermedius ad ultimum refertur: ut, *fines intermedii Logica sunt argumenta invenire & inventa disponere: Rhetorica, elocutio & pronunciatio.*

9. Finis minus principalis est, qui secundario ab efficiente intenditur: ut, *Conjugii finis minus principalis est solatium vita, vitatio pravarum cupiditatum, &c.*

10. Finis ǭ Cui est id, cui finis Cujus intenditur: Sic, *ager est finis cui sanitas destinatur. Homo finis rerum naturalium.*

Finis sunt hi

CANONES.

1. Si finis est, etiam destinatum seu finitum erit: *Itaq;* Posito fine, ponuntur etiam ipsa destinata seu media ad finem: & contrà: Sublato fine (principali) tolluntur & destinata: Ut, *Si vis aeternâ vitâ potiri, via Christus est: Si Christum aufers, vitam aeternam consequi non potes.*

2. Finis principalis non tollit minus principalem (accessorium.) Ut *N. V. C. Doctor Ecclesia debet docere, ut gloriam Dei illustret. E. non debet accipere stipendium.*

3. Unius rei possunt esse plures fines, sed subordinati. *Itaque* Uno fine remoto, non est necesse tolli quoque reliquos. ut, *Adolescens iste nobilis non studet propter adminiculum vita. E. studia ei sunt abjicienda.*

4. Propter quod unumquodque tale est (expetitur) illud magis tale est (magis expetitur & praestantius habetur.) ut; *Ille appetit vetulam propter pecuniam. Ergo pecuniam magis appetit.*

5. Cujus finis bonus est, idipsum etiam bonum esse censetur. Et contrà. Ut, *fines artium boni sunt. E. & ipsa artes bona erunt.*

Caput XI.

1. EFFECTUM

est argumentum absolutè consentaneum, quod ex causis existit.

2. Estque pro diversitate Causarum quadruplex: 1. In specie Effectum Efficientis. 2. Materiatum. 3. Formatum. 4. Finitum seu Destinatum.

3. Effectũ efficientis est, quod à causâ efficiẽte existit. Huc referuntur 1. Motus & res motu facta. Haec n. Effecta sunt efficientis quod movet. *Sic creatio & conservatio mundi, angelorum & hominum sunt motus seu res motu facta, vel effectum Dei. Terram foecundare, Coelum illustrare & calore fovere, Solis: procreare liberos, parentum effectum sunt.*

2. Consilia, cogitationes sive deliberationes, etiamsi ad exitum productae non fuerint. *Haec n. effecta sunt mentis deliberantis, cogitantis, consulentis. Sic Senatusconsulta, leges, decreta sunt effecta Senatorum, Legislatorum, Principum.*

3. Dicta & scripta, quę effecta sunt eorum, qui dicunt & scribunt. *Sic benè dicere & scribere sunt effecta Demosthenis & Ciceronis.*

4. Virtutum ac vitiorum operationes sive vites effecta etiam sunt, *Sic suum cuiq; tribuere effectum est justitia: Dilapidatio opum & egestas est effectum luxus.*

5. Deniq; laudes & vituperationes, (*propter virtutes vel vitia, res gestas bonas vel malas*) ad effecta referuntur.

4. Effectum materiatum est, quod à materia existit. *Panis est materiatum farinae: gladius ferri: Vestis panni: calceus corii, &c.*

5. Formatum est, quod à forma existit. *Homo est formatum rationis sive animae rationalis.*

6. Finitum est, quod ad finem ordinatum est. *Navigatio est finitum lucri: Conjugium procreationis liberorum.*

Effecti seu causati hi sunt

CANONES.

1. Posito causato necesse est causam esse vel fuisse: ut,

ut, Domus est. E. necesse est esse materiam è quâ constat. E. necesse est fuisse artifices.

2. Cujus effectus bonus est, id non potest esse toto genere malum. ut, *Eruditio honesta est & utilis. E. & Schola & institutio.* & contrà: Cujus effectus malus est, id toto genere bonum esse non potest: ut, *Fruges ex agro non nascuntur bonæ. E. nec fundus bonus est.*

3. Impossibile est causam effectricem totalem genere suo deteriorem esse effectu: ut, *V. C. Creaturæ sunt intelligentes. E. & Deus creator intelligens erit.*

4. Cui convenit effectus, eidem & causa convenit. & contrà. Ut, *ille tribuit unicuique quod suum est. E. justitia præditus est.*

5. Posito effectu probabiliter instrumenta ponuntur. Et contrà. Ut, *Est doctus. E. habuit libros.*

Hactenus de argumentis absolutè consentaneis: sequuntur modo quodam consentanea, Subjectum & Adjunctum.

CAPUT XII.

1. SUBJECTUM

est argumentum modo consentaneum, cui aliquid adjungitur.

2. Estque vel recipiens, vel occupans.

3. Recipiens est, quod adjunctum recipit.

4. Estque vel recipiens in se, vel ad se.

5. Recipiens in se est, quod adjunctum recipit in se. *Sic anima est subjectum scientiæ, ignorantiæ, virtutis, vitii, &c. Corpus pulchritudinis, deformitatis, sanitatis, morborum, roboris, &c.*

6. Estque vel proprium vel commune.

7. Proprium est, quod cum adjuncto reciprocatur. *Sic homo est subjectū risibilitatis. Ovis balatus. Canis latratus.*

8. Commune est, quod cum adjuncto non reciprocatur. *Sic paries est subjectum albedinis, quæ tamen aliis etiam subjectis disparatis tribui potest.*

9. Subjectum recipiens ad se est, quod adjunctum re-

cipit ad vel circum se. *Sic homo est subjectum divitiarum, paupertatis, honoris, vestitus. Dives, amicorum multorum. Christus coronæ spineæ, arundinis, purpuræ.*

Huc pertinet & Locus, qui subjectum est rei locatæ: *Sic stellæ sunt in cœlo tanquam subjecto loco: Volucres in aëre: Segetes in agro: Cives in urbe; incolæ in regione: fœnum in prato.*

10. Subjectum occupans est, circa quod adjunctum occupatur. *Dicitur vulgò* objectum vel materia circa quam. *Sic sensilia sunt objecta sensuum. Color est subjectum visus: sonus auditus: sapor gustus: odor olfactus: calor, frigus, humor & siccitas tactus. Sic res virtutibus & artibus proposita virtutum & artium subjecta sunt: vina Bacchi: ignis Vulcani: bella Martis: poma Pomonæ, &c.*

Subjecti sunt hi

CANONES.

1. Posito subjecto, necesse est poni adjuncta. ut, *David est homo. E. est scientiæ capax.*

2. Sublato & negato subjecto, tolluntur & negantur etiam adjuncta, ut *Pigmæi non sunt. E. non pugnant cum gruibus. Purgatorium non est. E. nec calidum est.*

3. Quale subjectum tale etiam adjunctum, *ut, Anima est incorporea. E. & scientia.*

4. Si subjectum recipiens sit, res ei adjungi poterit: Sin minus, non potest. Ut, *si habes mentem, doctrinæ capax eris. Sin minus, non eris.*

5. Idem subjectum capax est contrariorum, sed tamen diverso tempore, & in gradibus remissis. *Sic, corpus recipit in se motum & quietem. Anima amorem & odium, scientiam & ignorantiam. Aqua calorem & frigus.*

CAPUT XIII.

1. ADJUNCTUM

est argumentum modo quodam consentaneum, cui aliquid subjicitur.

2. Estque vel receptum vel occupatum.

3. Receptum est, quod à subjecto recipitur.

4. Estq;

4. Estque vel internum (*inhærens, receptum in se*) vel externum (*adhærens, receptum ad vel circum se.*)

5. Internum est, quod ipsi subjecto inhæret: vel, in subjecto existit. *Sic eruditio, scientia, virtus, vitia sunt adjuncta interna animæ. Pulchritudo, sanitas, robur, deformitas, morbus corporis.*

6. Estque vel proprium vel commune.

7. Proprium est, quod uni soli subjecto semper & necessariò inest. *Sic risibilitas est adjunctum proprium hominis: Mugitus taurorum: latratus canum: balatus ovium: rugitus leonum: hinnitus equorum: cuculatus cuculi: sibilatus serpentis: bombilatus apis: gemitus columbæ: crocitatus corvi: gratitatus anseris, &c.*

8. Commune est, quod pluribus subjectis pariter inest. *Sic albedo inest & cygno & parieti; nigredo Æthiopi & corvo.*

9. Estque vel separabile vel inseparabile.

10. Separabile est, quod facilè à subjecto separari potest. ut, *Calor ab aqua: Notitia à mente: & morbus à corpore.*

11. Inseparabile est, quod à subjecto separari non potest (aut difficulter potest.) *ut, Nigredo à corvo: humiditas ab aquâ: calor ab igne.*

12. Adjunctum externum est, quod subjecto adhæret vel circũstat: *seu*: quod à subjecto recipitur ad, vel circum se. *Sic vestitus, divitiæ, paupertas, sunt adjuncta hominis externa. Præmia virtutis. Rubor vespertinus futuræ serenitatis.*

Ad adjunctum externum refertur & contentum, res locata, iisdemque adjacens tempus. Contentum enim, res locata, sunt adjuncta continentis & loci. *Tempus verò commune est adjunctum rerum omnium: & nihil aliud est, quam duratio rerum præterita, præsens, & futura.* Sic Adami adjuncto tempore res quædam gestæ explicantur, Gen. 5. Adamus erat natus annos 150. quando genuit Seth, &c.

13. Adjunctum occupatum est, quod circa suum objectum occupatur. *Sic oculus est adjunctum occupatum colorum:*

rum: Medicus ægroti: præceptor discipuli: Iudex justitiæ: Grammatica puri sermonis: Rhetorica ornatus: Christus publicanorum & peccatorum. Sic omnes artifices sunt adjuncta occupata subjectorum, quæ sibi in arte suâ tractanda sumunt.

Adjunctorum sunt hi communes

CANONES.

1. Posito adjuncto, necesse est præexistere Subjectũ: ut, *in Platone est scientia. E. & anima.* Adjuncta *enim* non possunt esse sine subjecto. *Et*, impossibilis est ὕπαρξις accidentium sine subjecto. ut, *In Cœnâ Domini manet panis sapor. E. verus etiam panis maneat necesse est. Et per consequens, impossibile est manere mera panis accidentia.*

2. Negato verò adjuncto, non statim negatur vel tollitur subjectum. ut, *N.V.C. Mopsus non est doctus. E. non habet animam.*

3. Unius adjuncti possunt esse plura subjecta. ut, *Bonitas inest tum virginitati, tum conjugio.*

4. Cui tribuitur proprium, quod uni soli essentiæ convenit, huic etiam ipsam essentiam tribui necesse est. & contrà: Negato aut sublato proprio, negatur & ipsum Subjectum.

Proprium *enim* cum suo subjecto convertitur & reciprocatur. ut, *Petrus potest ridere. E. est homo. Et: Est homo. E. potest ridere. Bucephalus non potest ridere. E. non est homo. Dii gentilium non sunt omnipotentes, omniscii, &c. E. non sunt verus Deus.*

5. Proprium non excedit suum Subjectum. *Itaq;* Omne proprium unius speciei est incommunicabile alteri realiter diversæ; *puta*, subjectivè, vel essentialiter aut formaliter.

6. Remoto tempore universaliter, removetur res ipsa. ut, *Homerus vixit ante conditam Romam. E. res Romanas non descripsit.*

7. De quo adjunctum circumstans vel occupatum affirmatur vel negatur, de eo & subjectum affirmatur vel negatur. ut, *Spiræ sunt multi procuratores & causidici. E. & multa ibi sunt lites. Francofurti multi sunt Iudæi. E. & multa ibi fœnora exercentur.*

Huc-

Hucusque de Consentaneis: sequuntur Dissentanea.

Caput XIV.

1. DISSENTANEA

sunt argumenta simplicia, quæ à re, quam arguunt, dissentiunt.

Horum sunt hi generales

Canones.

1. Omnia Dissentanea enunciantur negando, (sicut consentanea affirmando) & arguunt negativè; nunquã affirmativè. ut, *Lapis non est homo. Cæcus non videt. Albus non est niger. Pater non est filius. Est lapis. E. non est asinus. Est albus. E. non est niger, &c.*

2. Dissentanea sunt æquè inter se nota ac manifesta: *h. e.* Dissentaneorum qui novit unum, novit & alterum. ut, *Si scis quid sit pater (qui habet filium) nosti etiam quid sit filius, (qui habet patrem.)*

3. Dissentaneorum alterum ab altero æqualiter arguitur: *hoc est,*

Quantum valet & arguit unum, tantum valet & alterum. *Sic respectu terminorum relatæ oppositionis inter patrem & filium alter ab altero æqualiter arguitur. Licet interim respectu substantiæ naturalis pater prior sit filio.*

4. Dissentanea juxta se posita clariùs elucescunt. *Sic meliùs quis percipere potest, quæ sint mala belli & vitii, si contulerit cum commodis pacis & virtutis.*

2. Dissentanea sunt duplicia; Diversa vel opposita.

3. DIVERSA sunt argumenta dissentanea, quæ sola ratione dissentiunt.

4. Notæ Diversorũ sunt hæ: *Non hoc, sed illud: Quanquam tamen*: Item: *Cùm tamen. Etiamsi tamen: ut & præterquam; Si non hoc, at illud: Non alibi, at hic, &c.*

Non formosus erat, sed erat facundus Vlysses. Non victoriam, sed insignia victoriæ Sylla reportavit. Quanquam ille studiosus est eruditus, tamen non est benè moratus.

Diversorum est hic

Canon.

Diversorum usus præcipuè est axiomaticus; &: Diversa valent tantùm ad distinguendum, non ad concludendum.

Caput XV.

1. OPPOSITA

sunt argumenta dissentanea, quæ ratione & re dissentiunt.

Illorum sunt hi generales

Canones.

1. Opposita non possunt attribui 1. eidem. 2. secundùm idem. 3. ad idem. 4. & eodem tempore.

2. Oppositorum affirmato seu attributo uno, negantur & removentur reliqua, *ut, Ludovicus Landgravius est Georgii pater. E. non est ejus filius. Appius est cæcus. E. non habet visum. Bucephalus est equus. E. non est lapis, truncus, cervus, &c.*

3. Omnis oppositio fieri debet juxta differentiam specificam. (*formam, essentiam propriam, adjuncta propria seu essentialia*) non juxta genus aut communia accidentia. ut, *N. V. C. Dialectica est ars. E. Grammatica non est ars.* (oppositio enim fit secundùm genus.) *Pater est robustus. E. filius non est robustus*, (oppositio enim fit secundùm communia accidentia.)

2. Opposita sunt duplicia, Disparata & Contraria.

3. DISPARATA

sunt argumenta opposita, quorum unum multis pariter opponitur. ut, *Homo, Dea, liber, arbor, ferrum, &c. Flavum, rubrum, cœruleum, viride, &c. Caseus, oleum, butyrum, caro, piscis, &c. Venus non est homo. Quia est Dea.*

Disparatorum sunt hi

Canones.

1. Positâ unâ specie, removentur omnes disparatæ. *seu*;

Posito vel affirmato disparatorum uno, removentur vel negantur reliqua omnia. *Itaque*

Ab unius disparati affirmatione, ad negationem reliquo.

liquorum. V. Consequentia. ut, *Plato est homo. E. non est asinus, non leo, non arbor.* *At non contrà:*

Negato seu sublato disparatorum uno, necesse est affirmari seu poni unum ex reliquis; ut *N. V. C. Non est asinus. E. est homo. E. est leo. E. est lapis.*

2. Disparatum de disparato regulariter affirmatè prædicari non potest. *Itaq;*

3. Quotiescunque disparata eidem subjecto tribuuntur: *seu,* quoties disparatum de disparato prædicatur affirmatè, necesse est alterum propriè accipi, alterum tropicè. ut, *Herodes est homo: & Herodes est vulpes.*

Caput XVI.

1. CONTRARIA

sunt argumenta opposita, quorum unum uni tantùm opponitur.

Illorum sunt hi generales

Canones.

1. Contraria sunt simul. *Itaq;*

Si unum sit contrarium, necesse est & alterum esse.

2. Contrariorum sunt contrariæ causæ, effectus, proprietates, subjecta proxima & definitiones.

3. Contraria dignoscuntur contrariis.

Contraria juxta se posita magis elucescunt.

Contrariorum est eadem scientia.

Contrariorum eadem est ratio.

4. Contraria sunt contrariorum consequentia.

5. Contraria non possunt esse in eodem subjecto, in gradibus excellentibus: at possunt esse in gradibus remissis.

2. Contraria sunt duplicia: Affirmantia & Negantia.

3. Affirmantia sunt, quorum utrumque affirmat, *h. e.* utrumque est quid positivum, reverà aliquid est & significat, ideoque etiam affirmatè exprimitur; ut, *virtus, vitium: Dominus, servus.*

4. Suntque duplicia, Relata & Adversa.

5. RELATA

sunt contraria affirmantia, quorum alterum constat è mutuâ alterius affectione.

6. Arguunt verò se Relata, vel ut consentanea, vel ut dissentanea.

Ut consentanea, quatenus ad se invicem referuntur, & alterum alteri est causa essentiæ (*relationis*) & naturæ, *h.e.* quatenus alterum alterum constituit. *Sic pater à filio accipit suam essentiam, ut sit & appelletur pater, & filius vicissim à patre, ut sit & appelletur filius.*

Hæc enunciantur & se arguunt affirmatè, juxta hos.

CANONES.

1. Relata sunt simul naturâ Relationis. *Sic Pater & Filius sunt simul naturâ. Quando enim pater incipit appellari pater, tum habet filium.* *Itaq;*

Relata & ponunt se mutuò & perimunt.

Relata quod sunt, aliorum sunt.

Relata constant ex mutua ad se invicem affectione.

2. Posito uno Relatorum, ponitur & alterum; *vel,* Posito Relato, necesse est poni correlatum. *Itaq;*

A positione unius Relati ad positionem alterius valet consequentia. ut; *Christus est filius David. E. David est ejus pater.*

7. Ut Dissentanea se Relata arguunt, quatenus invicem opponuntur, nec in unam rem cadere, nec uni eidemque rei secundùm idem & ad idem tribui possunt: ut, *Maritus non est uxor, & : Vxor non est maritus.*

Hæc enunciantur & se arguunt negatè juxta hos

CANONES.

1. Relativè opposita non habent medium.

2. Destructo sive negato Relato, necessariò destruitur & correlatum. ut, *Ludovicus senior Landgravius Hassiæ non est pater. E. non habet filium.*

3. De quocunq; Relatorum unum verè affirmatur, de eodem alterum verè negatur, ut *Abrahamus est Isaaci pater. E. non est Isaaci filius.* Relatum *enim* & Correlatum non cadunt in eandem rem.

CAPUT XVII.

ADVERSA

sunt contraria affirmantia, quæ inter se velut è regione perpetuo adversantur. ut, *Virtus, vitium. Sapientia, stultitia. Albedo, nigredo. Bellum, pax, Bonum, malum.*

Adversorum sunt hi

CANONES.

1. Adversa se mutuò pellunt & destruunt. *Calor pellit frigus. Virtus destruit vitium. Pax bellum, &c.*

2. Adversorum uno verè affirmato, necesse est negari alterum, & contrà:

Uno adversorũ negato, necesse est affirmari alterum. *Saul est reprobus. E. non est electus. Absolon est malus. E. non est bonus. Color est albus. E. non est niger. Non est albus. E. est niger.*

CAPUT XVIII.

1. CONTRARIA NEGANTIA

sunt, quorum alterum ait, alterum negat idem.

2. Suntque duplicia: Contradicentia & Privantia.

3. CONTRADICENTIA

sunt contraria negantia, quorum alterum negat ubiq; : *ut Homo, non homo; justitia, non justitia. Esse, non esse. Christum diligere, Christum non diligere.*

Contradicentium sunt hi

CANONES.

1. Contradicentia carent medio.

2. Posito vel affirmato uno Contradicentium, necessariò tollitur vel negatur alterum: & contrá;

Negato Cõtradicentium uno, affirmatur alterũ. *Et:* Duæ Contradictoriæ nõ possunt esse simul veræ & simul falsæ; sed cũ una vera est, altera necessariò falsa est.

Ab affirmatione unius Contradicentium ad negationem alterius valet Consequentia. & vicissim contrá. ut, *Deus non vult mortem peccatoris. E. falsum est Deum velle mortem peccatoris. Deus vult omnes salvos fieri. E. falsum est, Deum non velle omnes homines salvos fieri.*

3. In

3. In omni contradictione. 1. Idem subjectum de eodem prædicato. 2. Secundùm idem. 3. Simul sive eodem respectu. & 4. Eodem tempore, affirmari aut negari debet.

4. Neutrum contradictionis membrum contineri debet in altero, sive implicitè, sivè explicitè.

Caput XIX.

1. PRIVANTIA

sunt contraria negantia, quorum alterum negat in eo tantum subjecto, in quo affirmatum suapte naturâ inest.

2. Affirmatum hîc dicitur Habitus: Negatum verò Privatio.

3. Habitus est rei naturalis adeptio & præsentia in naturali subjecto: *Sic visus est naturalis habitus oculi: auditus auris: vita animæ: divitiæ divitis.*

4. Privatio est ejusdem habitus in eodem subjecto amissio, absentia sive extinctio. *Sic, cæcitas est privatio visus in oculo: surditas auditus in aure: mors vitæ; paupertas divitiarum.*

5. Estque privatio vel totalis vel partialis.

6. Totalis est, quæ actum & potentiam simpliciter tollit, ut, *Cæcitas in oculo: Mors in animali, quæ & vitam & vitales operationes corrumpit.*

7. Partialis est, quæ actum tantùm tollit, non potentiam. ut, *Somnus est privatio vigiliæ, quoad actum, non quoad potentiam vigilandi.*

Privantium sunt hi

Canones.

1. Si privantium est unum, non erit alterum: *vel.* Posito vel affirmato habitu, tollitur & negatur privatio: & contrà. Positâ vel affirmatâ privatione, tollitur vel negatur habitus, & contrà. ut, *visu præditus est. E. non est cæcus. Cæcus est. E. visu caret. Visu caret. E. Cæcus est. Cæcitas sublata est. E. visus redditus est.*

2. Pri-

2. Privatio præsupponit habitum. ut, *Si Appius cæcus est, habuerit prius visum necesse est.*

3. Habitus & privatio sunt circa idem subjectum, ut, *Animali competit visus. E. etiam non nisi animali cæcitas tribuitur.*

4. A privatione (*totali*) ad habitum non datur naturaliter regressus. *Qui ergò cæcus est, non potest per naturam iterum fieri videns.*

CAPUT XX.

1. COMPARATA

sunt argumenta prima, quæ inter se comparantur.

2. Affectiones generales comparatorum sunt quatuor.

3. I. Comparata aliquando brevi contractâque formâ enunciantur; aliquando explicatâ & plena: Unde comparatio vel est implicita brevis seu contracta: vel explicata seu plena.

4. Contracta comparatio est, quæ notis brevibus indicatur, partibusque involutis contrahitur. ut, *Homo bulla. Par levibus ventis.*

5. Eaque interdum vel uno verbo indicatur: ut, *Ficulneus, stramineus, adamantinus*: Interdum pluribus: ut, *stramineum argumentum: frons adamantina.*

6. Explicata seu plena est, quæ partibus suis plenius distinguitur & explicatur.

7. Partes ejus duæ sunt: Antecedens, quæ dicitur πρότασις, seu propositio: & Consequens, quæ dicitur Ἀπόδοσις, seu redditio.

8. Protasis est prior comparationis plenæ pars, quæ posteriorem arguit.

8. Apodosis est posterior comparationis plenæ pars, quæ arguitur. ut, *Sicut bulla velociter evanescit*: hæc protasis est. *Ita & homo velociter evanescit*: Hæc apodosis est.

10. Explicata comparatio est vel Continua vel Disjuncta.

11. Con-

11. Continua est, quæ tribus terminis continuè cohæret. ut, *Sicut palma floret, ita & justus.*

12. Disjuncta est, quæ quatuor terminis disjunctè explicatur (quorum duo sunt in propositione, duo in Redditione) ut, *Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum. Tempore sic duro est experiunda fides.*

13. II. Comparata ipsa comparationis naturâ sunt æquè inter se nota: non quidem ex rerum comparatarum naturâ, verùm è ratione Comparationis, in qua conferuntur: ut, *Si hominem cum bullâ conferas in vanitate, hominis par & aequalis noticia fuerit, non quidem ex hominis & bullæ naturâ, verum è vanitatis ratione, in quâ conferuntur, quæ utrobiq; aequalis est.*

14. III. Comparata ficta vi comparationis etiam arguunt & fidem faciunt: *fabulæ & apologi aquè arguunt, declarant & illustrant vi comparationis, ac vera.*

15. IV. Comparata convenire debent in tertio, quod ipsis commune est.

16. Tertium illud Comparationis est illa res, in qua duo comparantur sive conferuntur. ut, *Apostoli & Evangelistæ aequantur in pietate. Hîc duo sunt argumenta: Apostoli scil. & Evangelista. Tertium comparationis, in quo conferuntur, est Pietas.*

CAPUT XXI.

1. Comparata sunt vel in Quantitate, vel Qualitate.

2. Comparata in Quantitate sunt, quæ ratione Quantitatis comparantur.

3. Quantitas est, quâ res comparatæ quantæ dicuntur, *i.e.* tantæ & pares, vel non tantæ & impares,

4. Estque vel Parium vel Imparium,

5. PARIA

sunt argumenta comparata, quorum quantitas una est.

6. Argumentum igitur paris est, cùm par arguitur à pari.

7. Notæ comparationis Parium contractæ sunt, *par, pari-*

pariter, æquare, æquus, æquè, æqualiter: Item negationes Imparium. ut, *non impar, haud dispar, non inæquale, nec majus, nec minus, non latius, nec angustius, &c.*

Comparationis verò Parium explicatæ sunt hæ: *Idem quod: tam quam; tamdiu quamdiu; tantum quantum; tanti quanti; tantò quantò; tot quot; tantoperè, quantoperè; toties, quoties; tam ac; æquè ac; non magis non minus, &c.* ut, *Vmbra Creusa par levibus ventis. Abrahamo & Lotho pariter peccatum inest. Ignis tàm elementum est quàm aqua. Homo æquè ac fumus evanescit.*

Parium sunt hi

CANONES.

1. Quicquid de uno parium affirmatur vel negatur, id similiter de altero affirmatur & negatur.

Quicquid valet in re pari, valet etiam in re compari. De paribus idem est judicium.

Parium eadem est ratio. ut, *Israëlitæ propter idololatriam aliaq; peccata graviter à Deo puniti sunt. E. & nos pari ratione graviter puniemur.*

2. Cui convenit unum parium, eidem & alterum convenire probabile est. ut, *Mendacio ille delectatur. E. & furto.*

3. Paria paribus conveniunt. ut, *Si Ludimagistri summam discipulorum curam gerunt, etiam Episcopi suarum ovium gerent.*

4. Si duo conveniunt eidem paria sunt.

Quæ conveniunt in aliquo tertio, inter se conveniunt. ut, *Martialis & Maximus captant æquè alienas cœnas & eunt salutatum. E. sunt pares.*

CAPUT XXII.

1. IMPARIA

sunt argumenta comparata, quorum quantitas non est una.

Horum hic est Generalis

CANON.

Imparia non variant speciem: & multo minus genus.

genus. ut, *Calor intensus & remissus: Fides languida & firma, licet differant intentione graduum, specie tamen & genere conveniunt.*

2. Suntque vel Majora vel Minora.

3. MAJORA

sunt argumenta imparia, quorum quantitas (*in comparatione*) excedit & major est.

4. Argumentum ergò majoris est, quando majus arguit minus.

5. Notæ Majorum sunt hæ. 1. *Non solùm, sed etiam: plus, quam: malo hoc, quàm illud.* 2. Comparativi & Superlativi excessum significantes, ut, *doctior, illustrior, majus, dignius,* 3. Verba significantia comparationem, ut: *Vinco, supero, excello, præsto, antecello, supra, ultra, & similia.* 4. Negatio minoris. ut, *non inferior, non minus excellens, nulli secundus, non ultimo loco,* & si quæ sunt formæ aliæ. ut: *Anima est præstantior corpore. Christus major est discipulis suis. Si Deus volucres cœli & lilia campi alit & vestit, quantò magis homines? Virtus excellentior est divitiis.*

Majorum sunt hi

CANONES.

1. Si Majus est, etiam minus est. *Vel:* Posito Majore, ponitur Minus: ut, *Christus pro nobis mortuus est, cum adhuc inimici ejus essemus. E. sanguine ejus justificati multò magis servabimur.*

2. Si id inest quod majus est, multò magis id inerit, quod minus est. ut, *Potest portare bovem. E. multò magis infantem.* *Seu:* Quod valet in re majori, valebit etiam in minori. ut, *Christum nominarunt Beelzebub. E. multò magis domesticos.*

3. Si id non inest, quod magis inesse videtur, nec illud inerit, quod minus inesse videtur, ut, *justus vix salvabitur. E. multò minùs impius.*

CAPUT XXIII.

MINORA

sunt argumenta imparia, quorum quantitas (*in comparatione*) exceditur (*minor & remissior est.*)

2. Argu-

2. Argumentum ergò minoris eſt, quando minus arguit majus.

3. Notæ minorum ſunt. I. *Non ſolùm, ſed ne: Non hoc, ſed illud: potius hoc, quàm illud: cum, tum: vix, vel ſatiùs.* II. Comparatio Grammatica, quando poſitivus ponitur juxta comparativum; vel comparativus juxta ſuperlativum. III. Voces imminuentes aliæ, ut, *leviculus, levior, vilior.* IV. Negatio parium & majorum, iis enim negatis minus intelligitur. ut, *Anima eſt corpore præſtantior. Lilium multum cedit homini. Fratres ſunt chariores alienis. Maledicus eſt ſævior crudeliſſimis Tyrannis.*

Minorum ſunt hi

CANONES.

1. Si minus non ſit, nec majus erit. ut, *Hominis Teſtamentum non licet violare. E. multò minus Dei Teſtamentum violandum erit.* *Itaq;*

2. Si id non ineſt, quod minus eſt, multò minus id inerit, quod majus eſt. ut, *Familiam non poteſt regere. E. multò minùs Rempublicam.* *Et:*

Quod valet in re minori, valet etiam in re majori. ut, *Non decet adverſus parentes contumacem eſſe. E. multò minus adverſus Deum.*

3. Si id ineſt, quod minus ineſſe videtur, & illud inerit quod magis ineſſe videtur. ut, *Sabbatho licet ſervare bovem. E. multò magis hominem.*

CAPUT XXIV.

1. COMPARATA INQUALITATE ſunt, quæ qualitatis ratione comparantur.

2. Qualitas eſt, quâ res comparatæ quales dicuntur.

3. Eſtque vel ſimilium vel Diſſimilium.

4. SIMILIA

ſunt argumenta comparata, quorum qualitas eſt eadem.

4. Notæ Similitudinis uno verbo contractæ ſunt I. *Similis, effigies (imago, ſimilitudo, typus, character (icon) more (modo, in modum, ritu) inſtar, tanquam quaſi, velut, veluti,*

luti, sic, sicuti, ut, uti, ceu, quemadmodum. II. Negatio dissimilitudinis; *non dissimilis, haud secus, haud aliter.* III. Verba similitudinem indicantia; ut, *refero; repræsento; imitor; æmulor; speciem exhibeo; appareo*, &c. ut, *Iustus instar palmæ virescit. Stultus ut Luna mutatur. Impius non secus ac gluma dissipatur.*

6. Notæ Similitudinis partibus suis explicatæ sunt: *Talis qualis: sicut-ita: quemadmodum-ita: ut. sic: non aliter quam: non secus ac: ad eum modum quo, &c. ut, Sicut ego Dominus & Magister vester lavi pedes vestros: Ita & vos debetis alter alterius pedes lavare*, Joh. 13. v. 14.

Scilicet ut fulvum spectatur in ignibus aurum,
Tempore sic duro est inspicienda fides.
Tale tuum carmen nobis divine Poëta,
Quale sopor fessis in gramine. Virgil.

Similium sunt hi

CANONES.

1. De Similibus idem est judicium.
Similium eadem est ratio. us, *Deus perdidit mundum primum diluvio propter peccata. E. & nostrum perdet propter peccata.*

2. Similium collatio facienda est in iis partibus, quæ congruunt, & non in quibus dissentiunt.

3. Simile simili illustratur:
Simile simili amicum:
Simile simili gaudet:
Simile conservatur à simili.

4. Omne simile est etiam dissimile:
Simile non est (*prorsus*) idem:
Omnis similitudo claudicat:
Simile non currit quatuor pedibus.

5. Similitudinis membra latiùs extendenda non sunt, quàm fert ipsius rei proprietas.

CAPUT XXV.

1. DISSIMILIA

sunt argumenta comparata, quorũ qualitas est diversa

2. Notæ

2. Notæ Dissimilitudinis contractæ sunt I. *Dissimilis: dispar; differens; diversum; aliud; secus; discrepans; aliter.* II. Negatio Similitudinis; ut, *non similis; non idem* (sc. qualitate.) III. Verba dissimilitudinem significantia: ut, *differo; disto; non congruo; non respondeo; non quadro. ut, Dispar est cura ovium Christi & Mercenariorum. Dissimilis est luna mutabilitas sapientis constantiæ. Non similis est Deus hominibus in mendacio.*

3. Notæ Dissimilitudinis explicatæ sunt: *Non ut-ita; non sicut hoc-ita illud; non quemadmodum-sic; non talis-qualis; non tam-quam, &c.* ut, *Non quemadmodum equis vetulis solemus anteponere teneros: Sic amici novi anteponendi veteribus. Non ut Deus misericors est, ita & homo.*

Dissimilium sunt hi

CANONES.

1. Dissimilium dissimilis est ratio.
2. De dissimilibus diversum est judicium.
3. Si dissimilium unum sit, non erit alterum.

Hactenus de Argumentis primis, sequuntur Orta à primis.

CAPUT XXVI.

1. ORTA

argumenta sunt, quæ perinde sunt ad id quod arguunt, sicut, prima, unde oriuntur.

2. Suntque duplicia: Nominalia & Realia.

3. Nominalia sunt, in quibus nomina seu voces argumenta faciunt; quæque ex uno tantùm primo derivantur.

4. Suntque conjugata & Notatio.

5. CONJUGATA

sunt nomina (*argumenta orta nominalia*) ab eodem principio variè deducta. ut, *Iustitia, justus, justè. Terra, terrenus: Homo, humanus: miles militia.*

6. Conjugatorum quædam sunt abstracta; quædam sunt concreta.

7. Abstracta sunt, quæ modum habent significandi simplicem: *seu*: quæ solam formam significant; ut, *justitia, fortitudo, amicitia, doctrina.*

8. Concreta sunt, quæ modum habent significandi compositum: *seu*: quæ formam cum formato vel subjecto connotant. ut, *justus, fortu, amicus, doctus.*

Conjugatorum sunt hi

CANONES.

1. A conjugatis ducuntur argumenta tum affirmativa tum negativa. ut, *Doctus est laudabilis. E. & doctrina est laudabilis. Injustus non est laudandus. E. nec injustitia laudanda erit.*

2. Conjugatorum uno posito, ponitur & alterum: Et: Quod uni conjugatorum convenit, convenit etiam (*suo modo*) cæteris; & contrà. *ut Christianus es. E. Christianè tibi vivendum est.*

3. Cui tribuitur concretum (*res per concretum significata*) ei etiam tribuendum abstractum (*res per abstractum significata*) & contrà: Cui tribuitur abstractum, eidem etiam tribuendum concretum. ut, *Aristides est justus. E. & justitia in eo sit necesse est: vicissim: Iustitia præditus est. E. justus est.*

CAPUT XXVII.

1. NOTATIO

est argumentum ortum, quo nomina rebus imposita interpretamur. *Seu* Notatio est nominis interpretatio.

2. Notatio desumitur ex omnibus argumentis primis, tum consentaneis, tum dissentaneis, tum comparatis. *Sic Senatus consultum dicitur quod Senatus constituit.* ex caus. effic. *Homo ab humo.* è Mater. *Focus à fovendo: Iesus salvator à salvando.* ex effect. *Pomona à pomis: Flora à floribus.* ex Subj. occup. *Mulier à mollitie*, ex adjunct. *Lucus q. minimè lucens. Bellum q. minimè bellum*, è dissent. *Pyropus q. ignis flammam imitans.* ex comparat.

Nota-

Notationis sunt hi

CANONES.

1. Cui competit notatio (interpretatio) eidem verè & nomen competit: Et contra: cui non competit notatio eidem nec nomen competit. Et contrà. *ut, Christus salvat populum à peccatis suis. E. rectè dicitur Iesus sive salvator.*

2. Cùm notatio est adæquata notato, valet consequentia affirmativè & negativè, ut: *Est propheta. E. prædicit futura. Non prædicit futura. Ergo non est Propheta.*

3. Cùm notatio latiùs patet notato, valet consequentia tantùm negativè: *ut. Cibus non* est multis communis. E. non est cœna.

CAPUT XXVIII.

1. ORTA REALIA

sunt, in quibus arguendi vis consistit in rebus ipsis; quæque ex plurimis argumentis primis oriuntur.

2. Suntque Distributio & Definitio.

3. DISTRIBUTIO

est, cùm totum distribuitur in partes; *Seu*: est argumentum ortum reale, quo totum in partes distribuitur.

4. Totum est, quod continet partes, in quas distribui & distingui potest: *Sic Dialectica totum est, quia continet partes in quas dividitur, nempe Inventionem & judicium. Homo totum est, quod complectitur partes, animam & corpus.*

5. Pars est, quæ continetur à toto. *Sic elocutio & pronunciatio partes sunt Rhetoricæ, quia sub Rhetoricâ tanquam toto comprehenduntur. Anima & corpus partes sunt hominis. Homo & bestia animalis.*

Distributionis sunt hi generales

CANONES.

1. In distributione partes debent consentire cum toto (*debent esse homogeneæ toti*) inter se verò dissentire. *Itaq;*

Quò partium cum toto consensio arctior, inter se verò dissensio capitalior, eò distributio est perfectior.

2. Distributio si subjectæ rei natura patiatur, debet esse bimembris.

3. Distributio (*perfecta*) debet esse adæquata toti distributo, *h.e.* neque latior, neque angustior, sed reciproca, ita ut nihil desit, nihil redundet.

4. Omnis distributio debet fieri in entia: non verò in NONENTIA.

5. Omnis distributio debet constare verbis perspicuis, & rem ipsam, ut in se est, declarantibus.

6. Divisio fieri debet in membra proxima, prima & immediata.

7. In distributione partes non debent se dividere per se ipsas.

Totius & partis generales sunt hi
CANONES.

1. Omne totum majus est qualibet suâ parte: Impossibile *enim* est, partem toto majorem esse.

2. Partes singulæ continent minus toto: Partes simul sumptæ & coordinatæ constituunt totum.

3. Quicquid concluditur de toto, id communiter partibus inest. *Et*: Quicquid concluditur de partibus, idem communiter convenit toto.

CAPUT XXIX.

1. Distributio est vel primaria, vel secundaria.

2. PRIMARIA

est, quæ oritur ex argumentis absolutè consentaneis.

3. Estque duplex; vel ex causis; vel ex effectis.

DISTRIBUTIO EX CAUSIS

est, cùm causæ sunt partes totius: *h.e.* cùm totum quod dividitur est effectum: partes verò illud dividentes sunt causæ. ut: Ex caus. *Philosophia partim à Socrate, partim à Platone, partim ab Aristotele conscripta est.* Ex Mat. *Vestitus alius fit ex panno, alius fit ex corio.* Ex form. *Vasa quædam sunt rotunda, quædam quadrata.* Ex fine: *Adolescentes ad Academias proficiscuntur, ut & literas discant & populorum mores cognoscant.*

5. Di-

5. Distributionis ex causis tot sunt modi, quot sunt causarum genera; Itaque & diversi ex iisdem distributionis modi existunt.

6. In illis autem Distributio integri in sua membra excellit.

7. INTEGRUM

est totũ, cui partes suæ sunt essentiales, *h. e.* quod omnẽ suam essentiam à partibus (membris.) accipit, & ab illis simul junctis integratur. *Sic homo est integrũ, quod omnem suam substantiam accipit, & constituitur ab animâ & corpore.*

8. Membrum est pars integri: *seu:* Membrum est, quod integrum constituit. *Sic anima & corpus sunt membra hominis. Inventio & judicium Dialecticæ.*

9. Distributio integri est, cùm totum, quod distribuitur, est integrum, partes verò dividentes sunt membra, ut, *Dialecticæ partes sunt inventio & judicium. Mundus cœlo & terra perficitur. Domus fundamento, parietibus & tecto absolvitur.*

Integri & Membri sunt hi

CANONES.

1. Posito integro, necesse est poni omnia membra sive partes essentiales, ut, *Tenet Dialecticam. E. & præcepta inveniendi & judicandi.*

2. Remoto integro, removentur etiam omnia membra sive partes essentiales. ut, *Non tenet Dialecticam. E. nec Topicam nec Criticam. Nescit Grammaticam. E. & Etymologiam & Syntaxin.*

3. Collectis omnibus membris, integrum esse necesse est. ut, *Tenet præcepta Elocutionis & pronunciationis. E. est Rhetor.*

4. Posito vel remoto uno tantùm mẽbro, integrum esse necesse non est. ut, *Tyranni possunt occidere tantùm corpus. E. non totum hominem.*

5. Destructâ unâ parte principali, totum destruitur. *Ille non habet cor. E. homo non est. Ædificio huic deest tectum. E. domus non est.*

CAPUT XXX.

1. DISTRIBUTIO EX EFFECTIS

est,cùm partes sunt effecta totius: *h.e.*cùm totum quod distribuitur, est causa, partes verò distribuentes sunt effecta. ut: *Literarum studiosi alii benè loquuntur,bene dicunt, bene differunt,scribunt,legunt. Opificum alii consuunt calceos, sarciunt,stantes pinsunt,mercaturam exercent.*

2. Distributio exeffectis fit.Vel in effecta efficientis: vel in materiata; vel formata: vel finita:vel simul omnia aut aliqua.

3. In illis autem Distributio generis in suas species excellit.

4. GENUS.

esse totum partibus essentiale, hoc est, quod omnem suam essentiam & naturam subjectis speciebus communicat.

5. SPECIES

est pars generis: quæ omnem essentiam generis accipit & participat.

6. DISTRIBUTIO GENERIS IN SPECIES

est,cùm totum quod distribuitur est Genus, partes verò distribuentes sunt species. ut: *Argumentum est artificiale, vel inartificiale. Animal est Homo vel Bestia. Elocutio est Tropus vel Figura. Nomen est Substantivum vel Adjectivum.*

Generis sunt hi

CANONES.

1. Genus prædicatur de qualibet specie.

2. Genus necessariò latius est speciebus.

3. Genus cum speciebus suis non convertitur seu reciprocatur.

4. Posito vel affirmato genere universè omnes etiam ponuntur & affirmantur species. ut, *omnes artes sunt conjunctæ. Ergò etiam Poëtica & Oratoria.*

5. Negato vel remoto genere,negantur & removentur omnes species.ut, *Non est arbor. E. etiam non est ficus.*

6.Quic-

6. Quicquid de genere communiter dicitur vel negatur, id etiam de qualibet ejus specie dici vel negari necesse est. ut, *Animal est substantia corporea, sentiens. E. & Homo & Bestia.*

Speciei sunt hi

CANONES.

1. Positâ vel affirmatâ specie, ponitur & affirmatur Genus. ut, *Cicero est Homo. Ergo est animal.* Cui tribuitur species, eidem genus tribui necesse est.

2. Negatis speciebus omnibus, negatur etiam genus totaliter. ut, *Lapis neque homo est, neque bestia. E. animal non est.*

3. In specie plus est quàm in genere. *Sic rationalitas est in homine, quæ non est in animali tanquam genere.*

4. Species & genus debent esse in eodem prædicamento. ut, *Si genus est qualitas & adjunctum, etiam species. Si genus est substantia, etiam species.*

5. Quæcunque attribuuntur speciebus, eadem etiam attribuuntur generi. ut, *Iustitia est laudabilis. E. & virtus est laudabilis.*

CAPUT XXXI.

1. DISTRIBUTIO SECUNDARIA est, quæ oritur ex argumentis modo quodam consentaneis.

2. Estque duplex: vel ex subjectis; vel ex adjunctis.

3. DISTRIBUTIO EX SUBJECTIS est, cùm partes sunt subjecta, totũ verò est Adjunctum. *seu*: cùm adjunctum per subjecta dividitur. ut: *Sapientia est tum in Deo, tum in Angelis, tum in hominibus. Bonum aliud est animæ, aliud corporis, aliud fortunæ. Hominum alii vivunt in urbibus; alii in pagis; alii in villis.*

Ejus est hic generalis

CANON.

Affirmatis subjectis partibus, affirmatur totum adjunctum: Negatis, negatur: & contra. ut; *illeneque*

Legem neque Evangelium docere potest. E. Theologus non est. Ille tractat numeros atque magnitudines. E. Mathematicus est.

Caput XXXII.

DISTRIBUTIO EX ADJUNCTIS est, cùm partes sunt adjuncta, totum verò subjectum. *seu*; cum subjectum dividitur per adjuncta. ut: *Hominum alii sunt sani: alii agri; alii literati; alii illiterati: alii divites: alii pauperes. Pharmacorum aliud est salutare, aliud noxium. Germaniam incolunt Franci, Hessi, Saxones, Bavari, Suevi, &c.*

Ejus hic generalis

CANON.

Affirmatis adjunctis partibus, affirmatur etiam totũ subjectum: & contrà; ut, *Pompejus est praeditus & rei militaris scientia, & virtute, & autoritate, & felicitate. E. est bonus Imperator. Ille non est Francus, nec Saxo, nec Hessus, &c. Ergo, non ex Germania oriundus est.*

Caput XXXIII.

1. **DEFINITIO** est argumentum ortum reale explicans quid res (*definitum*) sit.

2. Definitio est vel Perfecta & imperfecta.

3. **DEFINITIO PERFECTA** est, quae constat ex solis caußis essentiam rei constituentibus.

5. Perfecta igitur Definitio est, quae constat materia sive genere, & formâ sive differentiâ specificâ. ut: *Homo est animal rationale. Dialectica est ars bene ratione utendi. Grammatica est ars bene loquendi.*

Definitionis sunt hi

CANONES.

1. Cui tribuitur vel adimitur definitio, eidem etiam tribuitur vel adimitur definitum: & contrà. ut, *Petrus est animal rationale. E. est homo. Est homo. E. est animal ratio-*

rationale. Simia non est animal rationale. E. non est homo. Non est homo. E. non est animal rationale.

Quicquid convenit Definitioni, id etiam convenit Definitio. & contrà.

Quicquid negatur de Definitione, id negatur etiam de Definito; & vicissim contrà.

2. Definitum neque implicitè, neque explicitè sit pars Definitionis. ut, *Litera est minima pars vocis ex literis composita. Vitiosa est definitio. Litera enim definitum est, non igitur definitioni inserendum: Ex literis composita.*

3. Definitum est genus definitionis sunt in eodem prædicamento.

4. Definitio perfecta sit adæquata suo definito. Definitio 1. non sit latior. nec 2. angustior. sed 3. reciproca sit, & cum definito æqualiter convertatur. ut, *Homo est animal rationale: & quod non est animal rationale, non est homo.*

5. Definitio perfecta constet verbis propriis, perspicuis & usitatis. *Itaque*

Ambigua, homonyma, tropica & obscura definitionem non ingrediantur.

6. Definitio perfecta sit affirmativa.

Negatione *enim* nihil est definiendum. &: Definitiones negativæ sunt vitiosæ.

7. Unius rei una tantùm est definitio essentialis, non plures.

8. In definitione non adhibeatur genus remotum pro proximo.

Caput XXXIV.

1. DEFINITIO IMPERFECTA est, quæ ex aliis quibusvis argumentis rem describit. *Unde &* DESCRIPTIO *appellatur.*

2. Estque vel succincta (*brevis, concisa*;) *vel* explicata (*copiosa, prolixa.*)

3. Succincta est, quæ ex uno atque altero argumento desumitur. ut, *Ira furor brevis est.*

4. Ex-

4. Explicata est, quæ ex pluribus argumentis variè desumitur. ut: *Homo est animal mortale, capax disciplinæ, ex adjun. Ebrietas est vitium arcana recludens, spes jubens esse ratas, ad prælia trudens inermes, ex effect. Virtus est vitium fugere, & sapientia prima.* ex dissent. *Argumentum est, quod ad aliquid arguendum affectum est. Ex conjug.*

Mundus est compages è cœlo terraq; constans, & iis naturis quæ his comprehenduntur. ex partibus.

Descriptionis est hic generalis

CANON.

Cui tribuitur vel adimitur descriptio, eidem etiam tribuitur vel adimitur descriptum: & contrà. ut, *Hortensius dicendo animos audientium docet, & delectat, & permovet. E. est optimus Orator.* vicissim: *Balbus non est optimus Orator. E. dicendo animos audientium non & docet & delectat & permovet.*

Hactenus de argumento Artificiali, ejusque speciebus: superest Inartificiale, quod est Testimonium.

CAPUT XXXIII.

1. TESTIMONIUM

est argumentum inartificiale, quod non suâ naturâ, sed assumptâ artificialis alicujus argumenti vi arguit. *Dicitur alias* Autoritas.

2. Estque duplex: Divinum & Humanum.

3. TESTIMONIUM DIVINUM

est, quod Deum auctorem habet.

4. Estque vel immediatum vel mediatum.

5. Immediatum est, quod nullo mediante Deum auctorem habet, (*à Deo profertur*) ut, *Vox Patris de cœlo clamat; Hic est Filius meus dilectus, in quo complacuit mihi, hunc audite, Matth. 3.*

6. Mediatum est, quod mediantibus aliis Deum auctorem habet. *seu*: ad quod perhibendũ, Deus aliorum ministerio usus. ut, *Multis modis Deus olim loquẽs patribus, novis-*

novissimè nobis locutus est per filium, Hebr. 1. *Paulus dicit nos justificari fide, non operibus*, Rom. 3.

Testimonii Divini sunt hi

CANONES.

1. Autoritas divina est infallibiliter & irrefragabiliter vera, & loco principii immoti sola testimonia divina non fallunt.

Quod Deus fatur & testatur, verum esse necesse est.

2. Ab autoritate vel testimonio divino ducuntur argumenta affirmativè & negativè. ut, *Sacra scriptura asserit Christum pro omnibus hominibus mortuum esse. E. verum est. Sacra Scriptura nusquam dicit Sanctos esse invocandos. E. invocandi non sunt.*

3. Quicquid Sacra Scriptura Canonica testatur, id indubitatâ fide amplectendum, & pro principio Theologico habendum.

Quicquid è Scripturis Canonicis non habet autoritatem, eadem facilitate rejicitur, qua asseritur.

CAPUT XXXVI.

1. TESTIMONIUM HUMANUM est, quod hominem autorem habet.

2. Estque vel commune vel proprium.

3. Commune est, quod plurium est, deque pluribus testatur.

Ad hoc Testimonium commune referuntur 1. *leges non scriptæ*, quales sunt leges naturæ & consuetudines 2. *leges scriptæ*, utpote jus civile, leges Romanæ, juris allegationes. 3. *Rescripta, placita, Senatus consulta, plebiscita, responsa, edicta, intimationes, constitutiones, &c.* 4. *Illustres sententiæ, proverbia, adagia, dicta sapientum.* ut. Nosce teipsum. Pares paribus congregantur, &c. *Sensus communis cùm experientia, & notoria rei gestæ fama, rumor item communis est.*

4. Proprium est, quod certi alicujus hominis singulare est, inque unâ aliqua re testificanda occupatur.

Ad hoc pertinent. 1. *Singulorum autorum peculiares γνώμαι*, quales sunt Ciceronis, Menandri, Senecæ, Aristotelis, Platonis, &c. 2. *Testimonia certarum personarum sive præsentium sive absentium; sive mortuorum sivè vivorum.* 3. *Confessiones*, eæque vel liberæ: vel vi expressæ, vel actu elicitæ 4. *Obligationes*, *sponsiones & stipulationes*. 5. *Iuramenta*. 6. *Pignora, monumenea, libelli, vades, arrha, præsides, obsides*, & quæcunque aliquam judicii vim habent, qualia sunt arma, cruentatio cadaverum, mutatio vultus & affectuum, variatio pulsus, immutatio coloris, excitatio sudoris, & innumera alia.

Testimonii humani sunt hi

CANONES.

1. Autoritati humanæ credendum est, quatenus firmis utitur rationibus & demonstrationibus.

In testimoniis enim humanis non videndum quis dixerit, sed quid & quàm verè dixerit.

2. Ab autoritate humanâ ducuntur tantùm argumenta affirmativa, non verò negativa. Non E. valet. Aristoteles non dixit mundum esse corruptibilem. E. non est corruptibilis.

3. Autoritas & consuetudo humana cedunt rationi & naturæ. Hæc verò cedunt autoritati divinæ. Lex *enim* inferior cedit superiori.

Sic fuit liber 1. de Inventione, sequitur

EPI-

EPITOMES

Præceptorum Dialecticæ

Liber II.

DE JUDICIO.

Caput I.

1. JUDICIUM

est altera Dialecticæ pars de disponendis argumentis ad benè judicandum. *Vnde & DISPOSITIO dicitur.*

2. Judicium duplex est; Axiomaticum & Dianoëticum.

3. Judicium axiomaticum est legitima axiomatum dispositio & dijudicatio.

4. AXIOMA

est dispositio argumenti cum argumento, qua esse aliquid aut non esse judicatur.

5. In axiomate consideranda, 1. Partes. 2. Divisio. 3. Affectio.

6. Partes axiomatis duæ sunt, Subjectum & Prædicatum: *illud dicitur* Antecedens: *hoc verò* consequens.

7. Subjectum est, de quo aliquid dicitur sive enunciatur.

8. Prædicatum est, quod de aliquo (*subjecto*) dicitur sive enunciatur.

9. Id quo Subjectum & Prædicatum colligantur ac continentur dicitur vinculum.

10. Vinculum est vis argumenta inter sese certo modo affecta connectens, ut ex iis fiat integra sententia: *Vnde etiam dicitur* Copula.

CAPUT II.

1. Dividitur axioma 1. secundùm Qualitatem: 2. secundùm Quantitatem. 3. secundùm species.

2. Secundum Qualitatem I. Axioma est vel Affirmatum, vel Negatum.

3. AXIOMA AFFIRMATUM

est, cujus vinculum affirmatur; *Seu*, in quo prædicatum de subjecto affirmatur. ut, *Paries est albus. Iustitia est virtus. Cœlum movetur. Anima est immortalis.*

4. NEGATUM

est, cujus vinculum negatur. *seu*, in quo prædicatum de subjecto negatur. ut, *Prodigalitas non est virtus. Leo non est asinus. Terra non movetur. Nullus avarus est justus. Nullus bonus est malus.*

Horum sunt hi

CANONES.

1. Affirmatum prius est negato.

2. In negato particula negativa convenienti loco reponenda est, nempe vel in principio. ut, *nullus homo est Leo*: vel immediatè ante vinculum. ut, *homo non est Leo.*

3. Si negatio vinculum sequitur, vel ad descriptionem subjecti aut prædicati pertinet, axioma affirmatũ est, non negatum. ut, *Catilina est non bonus. Qui non est bonus, est malus. Omnis qui non credit, condemnabitur. Omnis plantatio, quam non plantavit Pater cœlestis, eradicabitur.*

5. Utrumque tùm affirmatum tùm negatum est vel purum, vel modale.

6. PURUM

est, cujus prædicatum subjecto convenit (*de subjecto enunciatur*) simpliciter absque modo. ut: *Omnis qui credit in Christum salvatur. Fide justificatur homo.*

7. MODALE

est, quod determinatur modo quodam: cujusmodi sunt, *Necesse, possibile, impossibile, contingens. ut, Necesse est Deum esse justum. Impossibile est peccata Deo placere. Possibile est juvenem in florenti ætate mori. Contingens est hominem esse doctum.*

CAPUT

CAPUT III.

1. Secundùm Qualitatem III. Axioma est vel verum, vel falsum.

2. AXIOMA VERUM

est, quod pronunciat uti res est. ut, *Lapis est gravis. Homo est mortalis. Homo non est lapis.*

3. Axioma verum est vel necessarium vel contingens.

4. NECESSARIUM

est, quod immutabiliter verum est, nec aliter se habere potest.

5. Ejus sunt tres gradus sive conditiones. 1. κτ̣ παντὸς, de omni. 2. καθ' αὐτὸ, per se. 3. καθ' ὅλȣ πρῶτον, Catholicum primum, seu niversale reciprocum.

6. Necessarium κτ̣ παντὸς est, cùm consequens (*prædicatum*) omni antecedenti (*subjecto*) semper inest. ut, *Homo est rationalis.*

7. Necessarium καθ' αὐτὸ per se est, cujus partes sunt essentiales.

8. Estque vel primi vel secundi modi.

9. Καθ' αὐτὸ primi modi est, cujus prædicatum est in definitione (*est de essentiâ*) subjecti. ut, *Homo est ratione præditus. Iustitia est habitus.*

10. Καθ' αὐτὸ secundi modi est, cujus subjectum est in definitione (*est de essentiâ*) prædicati. ut, *Homo est capax disciplinæ, potest ridere. Corpus est mobile.*

11. Necessarium καθ' ὅλȣ πρῶτον, Catholicum primum est, cùm prædicatum cum subjecto disponitur reciprocè. ut, *Omnis homo est rationalis. Omne animal sentit.*

Axiomatis veri & Necessarii sunt hi

CANONES.

1. Verum vero consonat.
2. Quæ in rebus ipsis est veritas, ea est affirmatio in oratione sive prædicatione.

3. Judicium axiomatis necessarii est scientia; quâ res res per causas immediatas & proximas certò demonstrantur.

12. CONTINGENS

est, quod sic verum est, ut aliquando possit esse falsum, *h.e.* quod mutabiliter verum est. ut, *Socrates ambulat. Aqua calida est. Fortes creantur fortibus.*

Ejus sunt hi

CANONES.

1. Judicium axiomatis contingentis est opinio; quâ certò nil demonstrare, sed probabiliter duntaxat asseverare possumus.

2. Futurorum contingentium non est determinata veritas.

13. FALSUM

est, quod non pronunciat uti res est. ut, *Homo est arbor, lapis est animal.*

CAPUT IV.

1. Secundùm Quantitatem axioma est Universale vel speciale.

2. UNIVERSALE

est cujus Consequens (*prædicatum*) universaliter tribuitur antecedenti (*subjecto*) universali. *h.e.* cujus subjectum est universale. ut, *omnis homo est rationalis. Nullus homo est bestia.*

3. Estque vel definitum vel Indefinitum.

4. Definitum est, cujus subjectum signo universali est determinatum: *Seu*, quod signum universalitatis expressè habet additum.

Signa universalitatis sunt; *Omnis, Nullus*: & his æquipollentia; *Nullus non*, i.e. *omnis*: *Nemo, ne unus quidem*, i.e. *nullus*: Item, *universi, cuncti, quilibet, quisquis, quicunque, unusquisque, quotquot, &c.* ut, *Omnis homo est animal. Nullus lapis est animatus. Quicunque baptisati sunt, Christum induerunt*, Gal. 3. *Non est qui faciat bonum, ne unus*, Psal. 5.

5. Axio-

5. Axioma Indefinitum est, cujus subjectum universale nullo signo est determinatum. ut, *Animal est substantia. Homo est rationalis.*

Eorum sunt hi

CANONES.

1. Signum universalitatis nunquam addatur immediatè prædicato: Reddit enim axioma falsum & ineptũ. ut, *Omnis homo est omne animal.* (*Sic enim* etiam foret bestia, equus, asinus, *&c.*)

2. Signum universalitatis locum non habet, ubi per naturam res tantùm unica, sive subjectum unum est; ut, *non rectè dicis. Omnis Baptismus est Sacramentum. Omnis cœna Dominica constat duabus rebus, terrenâ & cœlesti. Quia baptismus tantùm unus, & cœna Dominica tantùm una est.*

9. SPECIALE

axioma est, cujus consequens (*prædicatum*) tribuitur antecedenti (*subjecto*) specialiter. ut, *Quædam virtus est propugnatrix justitiæ.*

7. Estque vel Particulare, vel Singulare seu proprium.

8. PARTICULARE

est, cujus consequens (*prædicatum*) tribuitur antecedenti (*subjecto*) particulariter. ut, *Quidam homines sunt docti, Quidam adolescentes sunt pietatis studiosi. Aliqui homines timent Deum. Nonnulli Poëtæ carminibus suis perierunt.*

Particulare axioma interdum signis exprimitur, qualia sunt; *Quidam, aliquis, multi, plerique, plerumque, reliqui, cæteri*: interdum, *non omnis, nonnullus, pars, partim, &c.* ut, 1. Cor. 10. *Omnes patres pertransiêre per mare: Sed plures eorum non placuere Deo: quidam ex ipsis fuêre idololatræ: quidam sunt fornicati: quidam Christum tentavêre, &c.* Interdum signa omittuntur, & tum dicitur axioma Indefinitum, æquipollens particulari. ut, *Homines sunt docti. Christiani Turcam devicerunt.*

9. PROPRIUM

sive singulare est, cujus consequens (*prædicatum*) com-

mune vel proprium, tribuitur antecedenti (*subjecto*) proprio sive singulari. ut, *Plato est Philosophus. Christus est Messias. Cicero est Orator.*

Ejus est hic

CANON.

Axioma proprium non recipit signa quantitatis expressa. Ineptum enim est dicere; *Omnis Cicero est Orator. Quidam Cicero est eloquens.*

CAPUT V.

1. Secundùm species Axioma est vel simplex vel Compositum. Illud dicitur *Categoricum* hoc *hypotheticum.*

2. SIMPLEX

est, quod verbi vinculo continetur. ut, *Homo est animal. Ignis urit. Deus creavit mundum. Iustus virtute præditus est.*

Ejus sunt hi

CANONES.

1. Axioma Simplex omni genere modorum Grammaticè enunciari potest: in iis tamen Indicativa enunciatio excellit.

2. In axiomate simplici duo tantùm argumenta, alterum in subjecto, alterum in prædicato per vinculum verbi disponitur. ut, *Homo est rationalis.*

3. Eadem verò non semper separatim & explicitè enunciantur, sed vinculum nonnunquam toti prædicato includitur: ut, *Petrus ambulat: ignis urit*, nonnunquam plura Syncategoremata vel subjecto vel prædicato adjiciuntur. ut, *Deus Pater Domini nostri Iesu Christi sit benedictus in secula.*

4. Axioma simplex affirmatur & negatur, verbo affirmato & negato (*sive sit primi, sive secundi & tertii adjecti*) *ut, Est Poëta. Non est Poëta. Petrus est. Petrus non est.*

5. Simplici axiomate omnia argumenta cum suis correlatis enunciari possunt: idque hoc modo, ut consentanea enuncientur affirmando, dissentanea negando.

CAPUT

Caput VI.

1. COMPOSITUM

axioma, est, quod vinculo conjunctionis continetur. *Dicitur aliâs* hypotheticum *seu* conditionale.

2. Estque vel congregativum vel segregativum.

3. CONGREGATIVUM

est, cujus conjunctio est congregativa. Tales sunt. *Si, cum, &, atque*, quæ argumenta congregando jungunt.

4. Estque vel copulatum, vel connexum.

5. COPULATUM

axioma est, cujus conjunctio est copulativa.

6. Conjunctiones copulativæ sunt, *&, ac, etiam*: item, *nec, quoque, que*. Item compositæ, *atque, itemq;, neque*, ut, *Bona & mala, vita & mors, paupertas & divitiæ à Domino proficiscuntur*. Virg. Æneid. 1. *Vnà Eurusq; Notusq; ruunt creberq; procellis.*

Africus, & vastos jactant ad sidera fluctus.

Christus & mortuus est & resurrexit.

Ejus sunt hi

Canones.

1. Axioma copulatum verum est, si omnes partes verè & rectè copulatæ sunt: Falsum verò, si vel altera duntaxat pars, vel utraque falsa fuerit. ut, *Deus & natura nihil faciunt temerè*: hoc verum est. *Christus adscendit in cœlum, & in eo ita conclusus continetur, ut non possit adesse in Cœnâ.* Falsum est, quia pars consequens falsa est.

2. In copulato conjunctio sæpiùs exprimitur, nonnunquam etiam dissimulatur: ut, *cæteros agerem, raperem, tunderem, prosternerem.*

3. Ad copulatum referuntur etiam enunciata, quæ per relativas voces conjunguntur, quorum conjunctio est ipsa relatio. *Qualia sunt relata qualitate, tempore, loco, quantitate. Quarum hæ sunt notæ*: talis-qualis; quemadmodum-ita; tantus-quantus; tot-quot; cùm-tum; ubi-ibi; eò-quò, &c.

CAPUT VII.

1. CONNEXUM

axioma est, cujus conjunctio est connexiva.

2. Conjunctiones connexivæ sunt: *si, sin, ni, nisi.* ut: *Si Abraham est justificatus operibus, tum habet quod glorietur, sed non apud Deum. Si secundùm carnem vixeritis, moriemini. Si Deus pro nobis, quis contra nos?*

Ejus sunt hi

CANONES.

1. Conditionalis nihil ponit in esse.

2. Conditionalis SI non semper exprimitur, sed nonnunquam dissimulatur: ut, *Non opus est exercitio in levioribus artibus, & non opus est in difficilioribus.* pro, *si non opus est.*

3. Nonnunquam loco conditionalis SI usurpantur notæ aliæ: quales sunt, *cum, tum, donec, siquidem, quandoquidem, quia, & qui ablativi consequentiæ dicuntur.*

4. Connexum judicatur verum esse, si posito antecedente, est consequens. ut, *Si solâ fide justificamur, non justificamur operibus. Falsum judicatur,* si posito antecedente consequens non est. ut, *Si corpus Christi in cœnâ est, necesse est, illud videri & palpari.*

5. Connexum necessarium est, si partes necessariâ connexione cohærent: ut, *Si homo est rationalis, naturâ est Dialecticus.*

6. Connexum contingens est, cùm partes non necessariâ connexione dependent, sed probabiliter & contingenter, hinc fieri potest, ut antecedens esse possit, etiamsi non sit consequens, vel contrà: ut, *Si est Ramista, est etiam Calvinista.*

CAPUT VIII.

1. SEGREGATIVUM

axioma est, cujus conjunctio est segregativa.

Ejus

Ejus est hic

CANON.

Argumenta Dissentanea enunciantur tantùm axiomate segregativo.

2. Estque vel discretum, vel disjunctum.

3. AXIOMA DISCRETUM

est, cujus conjunctio est discretiva.

4. Conjunctiones Discretivæ sunt: *Quanquam, quãvis, etsi, licet-Tamen, at: Non hoc, quidem-verùm, sed*, & æquipollentes aliæ. ut, *Non formosus erat Vlysses, sed facundus. Quamvis ego digna-sim, quæ patiar injuriam, at tu indignus, qui faceres. Quanquam Petrus non est doctus: tamen est dives. Non auro & argento redempti sumus, sed preciosa sanguine Christi.*

Ejus sunt hi

CANONES.

1. Diversa enunciantur axiomate discreto.

2. Notæ Diversorum interdum dissimulantur, & vel antecedentium (*Quanquam, etsi, licet,*) vel consequentium (*tamen, sed*) aliqua omittitur. ut, *Nævus est corporis macula: illi tamen hoc lumen videbatur:* pro, *Quanquam nævus est macula, &c.*

3. Axioma Discretum verum est & legitimum, si partes non solùm veræ, sed & discretæ sunt. Falsum est, vel ex una parte falsum. Ridiculum, si partibus discretis non constet.

CAPUT IX.

1. DISJUNCTUM

axioma est, cujus conjunctio est disjunctiva,

2. Conjunctiones disjunctivæ sunt; *Aut, an, ve, sive, vel, secus, ut. Aut fide justificamur aut operibus. Aut Deo serviendum, aut Mammonæ. Animal aut est bestia, aut homo. Aut dies est, aut nox est.*

Ejus sunt hi

CANONES.

1. Opposita enunciantur axiomate Disjuncto. ut, *Conjux est aut maritus aut uxor. Aut bonus est aut malus.*

2. In Disjuncto una tantùm pars vera esse potest, non plures. ut, *Petrus aut est in Asiâ, aut in Africâ, aut Europâ, Aut fide justificamur, aut operibus.* Hìc unum tantùm verum est, reliqua falsa.

3. Disjunctum, cujus nulla pars vera est, falsum est. ut, *Fractio panis aut per se est pia, aut impia.* (datur enim tertium, quòd sit media, indifferens & adiaphora.) *vicissim*; Disjunctum, cujus omnes partes veræ sunt, fasum est. ut, *Christus aut Deus est, aut homo.* (utrumque verum est, est enim Deus & homo.)

4. Disjunctum nunquam extrui debet ex iis, quæ sunt necessariò connexa. ut, *Socrates aut est homo, aut rationis particeps.*

5. Disjunctum verum est, si partes dissentaneas disjunctè enunciat: Falsum, quod consentanea simpliciter & absolutè disjungit.

6. Disjunctum necessarium est, cujus partes omnes necessariò per opposita immediata disjunguntur, non verò in necessaria partium veritate. ut, *Animal non est homo, aut bestia.*

7. Disjunctum contingens est, cujus partes contingenter per opposita immediata disjunguntur, ideoque vel utrumque vel neutrum esse potest. ut, *vestis aut est alba, aut nigra. Aut doctus est, aut probus. Aut potiar amore, aut moriar.*

CAPUT X.

1. Affectio axiomatis est unius cum altero collatio.

2. Collatio ea vel respicit consensum, cujus ratione axiomata consentiunt: vel dissensum, cujus ratione dissentiunt.

3. Consensum respicit Æquipollentia & conversio.

4. ÆQUI-

4. ÆQUIPOLLENTIA

est axiomatum verbis discrepantium in sensu convenientia. *Græcè dicitur ἰσοδυναμία.* ut Axioma, *Non omnis homo est electus,* æquipollet huic, seu idem significat quod hoc, *Quidam homo non est electus: Nonnulli homines sunt docti: &, Quidam sunt docti: Nullus non homo est peccator; &, Omnis homo peccator est: Non aliquis homo est lapis; &, Nullus homo lapis est.*

Ejus sunt hi

CANONES.

1. Diversitas verborum non tollit æquipollentiam sensus.

2. Duæ negationes æquipollent affirmativæ. ut, *Homo non potest non mori: æquivalet huic: Homo necessariò moritur.*

3. Universalis limitatione restricta æquipollet particulari. ut, *Omnes homines, qui credunt, salvantur: æquivalet huic; Quidam homines salvantur.*

4. Exclusivæ (*tantùm, solùm*) æquipollent universali. ut, *Tantùm octo homines fuerunt in arcâ Noah. i.e. omnes homines in eâ fuerunt numero octo.*

5. Affirmatio privationis & negatio habitus in subjecto habili æquipollent. *Est injustus: Non est justus.*

6. Attributio finita & negatio infinita æquipollent. ut, *David est justus: David non est non justus.*

7. Indefinitæ propositiones in materiâ necessariâ æquipollent universalibus: in contingenti verò particularibus. ut, *Homo est animal irrationale. Homines sunt docti. Quidam homines sunt docti.*

8. Hypotheticum sive connexum impossibile æquipollent simplici negato. ut; *Si Æthiops mutabit colorē & Pardalus maculas, damnati pœnitentiam agent; &, Damnati non agent pœnitentiam.*

Caput XI.

1. CONVERSIO

est mutua terminorum in axiomate transpositio, qua ex subjecto (*antecedente*) fit prædicatum (*consequens:*) & ex prædicato (*consequente*) subjectum (*antecedens*) salvâ axiomatis veritate. ut; *Homo est animal rationale: Animal rationale est homo.*

2. Ejus modi sunt tres. 1. Conversio simplex. 2. per accidens. 3. per contrapositionem.

3. Simplex est, qua, manente qualitate & quantitate eadem, universale affirmatum reciprocum & negatum, itemq; particulare affirmatum convertitur. ut, *Omne bonum justum. Omne justum bonum*, (est conversio axiom univers. affirm. reciproc.) *Nullus avarus est justus. Nullus justus est avarus.* (univers negat.) *Quidam canis est niger. Quoddam nigrum est canis* (part. affirm.)

4. Conversio per accidens est, qua manente qualitate eâdem convertitur universale in particulare. ut, *Omnis prodigus est injustus: Quidam injustus est prodigus. Omne animal vivit. Quoddam vivens est animal.*

5. Conversio per contrapositionem est, qua manente quantitate eâdem, affirmatum convertitur in negatum. ut, *Omnis virtus est pulchrum. Quod non est pulchrum non est virtus. Omnis Leo est animal. Quicquid non est animal, non est Leo.*

Caput. XII.

1. OPPOSITIO

axiomatum est, cùm in eodem axiomate vinculum affirmatur & negatur. ut, *Petrus est eruditus. Petrus non est eruditus. Homo est rationalis. Homo non est rationalis.*

Ejus sunt hi generales

Canones.

1. Omnis oppositio axiomatum habeat. 1. idē subjectum & prædicatum, sine ambiguitate intellectum. 2. secundùm idem. 3. ad idem, & 4. eodem tempore.

2. In

1. In omni oppositione una duntaxat propositio uni opponatur.

2. Oppositio est vel contraria, vel contradictoria.

3. CONTRARIA

est, qua universali affirmato opponitur universale negatum, & contra. ut, *Omnis homo est doctus. Nullus homo est doctus.* (hîc univers. affirm. opponitur univ. negat.) *Nullus dives introibit in regnum cœlorum. Omnis dives introibit in regnũ cœlorum.* (hîc univers. negat. opponitur univers. affirm.)

Ejus sunt hi

CANONES.

1. Propositiones contrariæ verum ac falsum non semper nec necessariò dividunt. *Itaq;*

2. In materiâ necessariâ altera vera, altera falsa est. ut, *Omnis homo est animal. Nullus homo est animal.*

In materiâ verò contingenti simul falsæ, nunquam simul veræ esse possunt. ut, *Omnis homo credit. Nullus homo credit.*

4. CONTRADICTORIA

oppositio est: qua opponitur 1. universali affirmato particulare negatum. ut, *Omnis homo est pius. Quidam homo non est pius.* 2. aut universali negato particulare affirmatum. ut, *Nullus homo est pius. Quidam homo est pius.* 3. aut singulari (proprio) affirmato singulare negatum. ut, *Petrus est pius. Petrus non est pius.*

Ejus sunt hi

CANONES.

1. Contradictoriæ in omni materia ex necessitate dividunt verum & falsum. *Itaq;*

2. Impossibile est duas contradictorias esse simul veras, aut simul falsas.

3. Oppositio compositi axiomatis semper est contradictoria; dividit enim semper verum à falso. ut, *Christus & mortuus est, & resurrexit. Christus non & mortuus est, & resurrexit.*

Hucusque de judicio Axiomatico, sequitur Dianoëticum.

Caput XIII.

1. Judicium Dianoëticum est legitima varior͠ axiomatum ex se deductorum dispositio ac dijudicatio.

2. Estq; vel syllogisticum, quo syllogismus; vel Methodicum, quo Methodus dijudicantur.

3. SYLLOGISMUS
est dianoia, qua quæstio cum argum͠eto ita disponitur, ut posito antecedente necessariò concludatur.

4. In syllogismo consideranda. 1. Partes. 2. Divisio.

5. Partes syllogismi essentiales duæ sunt, Materia & Forma.

6. MATERIA
est, ex quâ syllogismus constituitur.

7. Estq; vel remota, vel propinqua.

8. Remota est, ex qua propositiones conficiuntur, ut, Quæstio & argumentum tertium: *Metaphoricè vulgò* tres Termini *dicti*, Major, Minor, Medius.

9. Quæstio constat terminis duobus, Majori & Minori; Argumentum verò tertium est Medius terminus.

10. Major terminus est prædicat͠u (*consequens*) quæstionis dubiæ: & disponitur cum medio sive argumento tertio in propositione.

11. Minor terminus est subjectum (*antecedens*) quæstionis, & disponitur cum Medio sive argumento tertio in assumptione.

12. Medius terminus est quæstionis dubiæ extrinsecus assumpta probatio, qua mediante Major & Minor disponuntur. *Itaq;*
Bis ponitur ante conclusionem: semel in propositione junctus Majori; & semel in Assumptione junctus Minori.

13. Materia propinqua est, ex quâ ultimo syllogismus constituitur.

14. Estq; Antecedens & Consequens.

15. Antecedens est, quæ adhibetur ad quæstionem arguendam.

16. Ejus.

16. Ejus partes sunt duæ: Propositio & Assumptio. *Vulgò dicta* Præmissæ, *quia conclusioni præmittuntur.*

17. Propositio est prior pars antecedentis, qua argumentum (*tertium*) vel cum consequente quæstionis parte tantùm, vel cum tota quæstione disponitur.

18. Assumptio est posterior antecedentis pars, quæ è propositione conficitur.

19. Consequens est, quæ sub se partes quæstionis complectitur, eamq; per legitimam consequentiã concludit, *Unde & Conclusio dicitur.*

20. Forma Syllogismi est legitima materiæ seu quęstionis cum argumento tertio juxta leges Syllogisticas dispositio, ut necessaria consequentia conclusio inferatur.

21. Formam consequitur Bona consequentia, quę est virt⁹ ex legitima partiũ Syllogismi dispositione existẽs.

Generales de Bona consequentia Syllogistica sunt hi

CANONES.

1. Syllogismi dispositio debet informari ad normã Dici de Omni, & Dici de Nullo.

Dictum de Omni est, quando nihil sumi potest sub subjecto, cui non tribuatur prædicatum: ut, *Omne vinũ calefacit. Omnis homo est animal.*

Dictum de Nullo est, quando sub subjecto nihil potest sumi, de quo non removeatur prædicatum. ut: *Nullum animal est lapis. Nulla stella consumitur.*

2. Ex veris per se non nisi verum colligi potest; Ex falsis nil nisi falsum.

3. Ex necessariò non nisi necessarium; ex contingẽti non nisi contingens sequitur.

4. In Syllogismo positis præmissis necessariò sequitur conclusio.

5. In Syllogismo non sint plures neq; pauciores termini quàm tres: neq; secundùm vocem, neq; secundùm sententiam.

6. Medius terminus nunquam ingrediatur conclusionem, neq; ex toto neq; ex parte. *Nam*

Lex

Lex generalis erit medium concludere neſcit.

7. Præmiſſæ in Syllogiſmo habeant idem prædicationis genus. *Nam*

Mutato genere prædicationis uſitato, non V.C.

8. Præmiſſarum altera ſemper eſto univerſalis. *Nam*

Ex puris particularibus nihil ſequitur.

9. Præmiſſarum altera ſemper eſto affirmativa. *Nã*

Ex puris negativis nihil ſequitur. *Hinc verſus.*

Partibus ex puris ſequitur nil atq; negatis.

10. Non ſit plus vel minus in concluſione quàm fuit in præmiſſis cum argumento tertio diſpoſitum.

11. Concluſio imitetur partem debiliorem & ignobiliorem. *Itaq;*

Semper particularem præmiſſam ſequitur concluſio particularis.

Negativam præmiſſam ſequitur concluſio negativa.

Si qua negata præit, ſequitur concluſio negans.

Si qua præit partic. ſequitur concluſio negans.

12. Concluſio falſa præſupponit unam ſaltem præmiſſam falſam.

13. Concluſio in Syllogiſmo nunquam neganda eſt.

14. Conſequentia bona nunquam negari debet.

Caput XIV.

1. Syllogiſmus eſt vel Manifeſtus, vel Crypticus.

2. Manifeſtus eſt, cujus diſpoſitio manifeſtè cum naturali mentis collectione congruit.

3. Uterq; vel ſimplex eſt, vel compoſitus. *Ille dicitur* Categoricus: *hic verò* hypotheticus.

4. SIMPLEX

Syllogiſmus eſt, in quo quæſtionis pars conſequens (*prædicatum, major terminus*) diſponitur cum argumento tertio in propoſitione: pars antecedens (*ſubjectum, minor terminus*) in aſſumptione.

5. Di-

5. Dividitur syllogismus simplex vel secundùm affectiones Qualitatis & Quantitatis, vel secundùm species.

6. Secundùm Qualitatem est vel Affirmatus, vel Negatus.

7. AFFIRMATUS est, cujus omnes partes sunt affirmatæ. ut, *Omnis creatura est subjecta vanitati. Omnis homo est creatura. E. omnis homo est subjectus vanitati.*

8. NEGATUS est, cujus altera præmissarum *(vel propositio, vel assumptio)* est negata cum conclusione. ut, *Imago Dei non est mortalis. Anima est imago Dei. Ergo anima non est mortalis.*

9. Secundùm Quantitatem syllogismus est, vel universalis, Particularis, cui subjungitur singularis sive proprius.

10. UNIVERSALIS est, cujus vel præmissæ vel omnes partes sunt universales. ut, *Omne animal est substantia. Omnis homo est animal. E. omnis homo est substantia.*

11. PARTICULARIS est, cujus altera tantùm præmissarum, vel propositio, vel assumptio, est particularis cum conclusione. ut, *spiritus carnē & ossa non habet. Christus carnem & ossa habet. E. Christus non est Spiritus.*

12. Singularis sive PROPRIUS est, cujus utraque præmissa est singularis sive propria. ut, *Socrates est doctus. Socrates est homo. E. quidam homo est doctus.*

CAPUT XV.

1. Figura Syllogismi simplicis est apta dispositio argumenti tertii *(medii termini)* cum partibus quæstionis.

2. Figuræ syllogismi simplicis pro triplici argumenti tertii dispositione sunt tres: quarum singulæ plures concludendi modos admittunt.

3. Modus est dispositio propositionum syllogismi in debita quantitate & qualitate.

Quantitate denotatur propositio universalis vel particularis. Qualitate Affimativa vel Negativa. Quantitas & Qualitas comprehenditur his versiculis:

Barba-

Barbara, Celarent, *Primæ*, Darii, Ferioq;
Cesare, Cameſtres, Feſtino, Baroco, *Secundæ*;
Tertia grande ſonans edit Darapti, Felapton;
Adjungens Diſamis, Datiſi, Bocardo, Feriſon;
Vbi Aſſerit A. negat E. verùm generaliter ambo,
Aſſerit I, negat O, verùm ſpecialiter ambo.

4. PRIMA FIGURA

eſt, in qua argumentum tertium eſt pars antecedens (*ſubjectum*) in propoſitione; pars conſequens (*prædicatum*) in aſſumptione affirmata.

5. Modi primæ figuræ ſunt quatuor. Duo univerſales; *Barbara, Celarent*. Duo particulares; *Darii, Ferio*. Quibus adjiciuntur duo ſingulares ſive proprii;

6. Primus modus univerſalis affirmatus eſt *Barbara*; qui habet omnes propoſitiones univerſales affirmatas, ut:

Bar *Omne vitium eſt fugiendum.*
ba O. *Avaritia eſt vitium.* E.
ra O *Avaritia fugienda.*

7. Secundus Modus univerſalis negatus eſt *Celarent*; qui habet propoſitionem & concluſionem univerſales negatas. Aſſumptionem univerſaliter affirmatam, ut:

Ce *Nullus imperitus rerum eſt idoneus ad Rempubl. gubernandam.*
la *Omnes adoleſcentes ſunt imperiti rerum.* E.
rent. *Nullus adoleſcens eſt idoneus ad Rempubl. gubernandam.*

8. Tertius modus particularis affirmatus eſt *Darii*; cujus propoſitio eſt affirmata univerſalis; Aſſumptio & concluſio affirmatæ particulares, ut:

Da *Omnis dicendi peritus eſt orator.*
ri *Cicero eſt dicendi peritus.* E.
i *Cicero eſt orator.*

9. Quartus modus particularis negatus eſt *Ferio*; cujus propoſitio eſt univerſalis negativa, aſſumptio particularis affirmativa, Concluſio particularis negativa, ut:

Fe *Nul-*

Fe *Nullus deceptor puellæ est laudandus.*
ri *Demophoon est deceptor puellæ. E.*
o. *Demophoon non est laudandus.*

10. Quintus modus sive 1. est singularis affirmatus; qui habet omnes propositiones affirmatas & proprias. ut,

Messias promissus est verus Deus & verus homo.
Christus est Messias promissus. E.
Est verus Deus & verus homo.

11. Sextus modus sive Proprius 2. est singularis negatus, qui omnes partes quidem habet proprias; propositionem verò & conclusionem negatas; assumptionem affirmatam. ut,

Vox clamantis in deserto non est Christus.
Ioannes est vox clamantis in deserto. E.
Ioannes non est Christus.

Primæ figuræ sunt hi
CANONES,

1. In prima figura medius terminus est subjectum in majori, & prædicatum in minori.

2. In prima figura processus fit ab universali ad particulare; sive à genere ad speciem. *Itaq;* In prima figura propositio major semper sit universalis aut propria.

3. In prima figura assumptio semper sit affirmativa, nunquam negativa.

CAPUT XVI.

1. SECUNDA FIGURA simplicis Syllogismi est, in qua argumentum tertium (*medius terminus*) est consequens pars (*prædicatum*) in utraque præmissa, cum conclusione semper negata.

2. Modi hujus figuræ communes sunt quatuor: Duo universale: *Cesare, Camestres*: Duo particulares; *Festino, Baroco.* Quibus adduntur duo sin-gulares sive proprii.

3. Primus modus universalis vocatur *Cesare*, qui pro-

positionem & conclusionem habet universales negativas: assumptionem verò universalem affirmativam. ut,

Ce *Nullus avarus est vir bonus.*

sa *Omnis Philosophus verè Christianus est vir bonus.E.*

re *Nullus Philosophus verè Christianus est avarus.*

4. Secundus modus universalis est *Camestres:* qui propositionem habet universalem affirmativam : assumptionem & conclusionem universales negativas.ut,

Ca *Omnia bona faciunt possessores meliores.*

me *Nullæ voluptates corporis faciunt possessores meliores.E.*

stres. *Nullæ voluptates corporis sunt bona.*

5. Tertius modus particularis primus est *Festino:* qui propositionem habet universalem negativam, assumptionem particularem affirmativam, conclusionem particularem negativam. ut,

Fe *Nullus dives plura cupit.*

sti *Euclio plura cupit. E.*

no. *Euclio non est dives.*

6. Quartus modus particularis secundus est *Baroco,* qui propositionem habet universalem affirmativam, assumptionem & conclusionem particularem negativam.ut,

Ba *Omnis qui peccat in Sp. S. desperat.*

ro *Petrus abnegando Christum non desperat. E.*

co. *Petrus non peccat in Sp. sanctum.*

7. Quintus modus specialis seu proprius primus est, qui utramque præmissam habet propriam; propositionem verò & conclusionem negatas, assumptionem affirmatam. ut,

Agesilaus non est pictus ab Apelle.

Alexander est pictus ab Apelle. E.

Alexander non est Agesilaus.

8. Sextus & ultimus modus seu proprius secundus est, qui propositionem habet affirmatam, assumptionem verò & conclusionem negatas. ut,

Messias debuit baptizare Sp.S. & igne.

Ioannes non baptizavit Sp.S. & igne. E.

Ioan-

Ioannes non est Messias.

Secundæ figuræ sunt hi

CANONES.

1. In secunda figura argumentum tertium sit consequens sive prædicatum in utraque præmissa, sive in propositione & in assumptione.

2. In secunda figura propositio semper sit universalis, aut propria, nunquam particularis.

3. In secundâ figurâ tantùm fiunt Syllogismi negativi.

In secundâ figurâ conclusio semper sit negativa.
In secundâ figurâ ne sint meræ affirmantes.
In secundâ figurâ ex puris affirmativis nihil sequitur.
In secundâ figurâ præmissarum altera est negativa.

CAPUT XVII.

1. TERTIA FIGURA

Syllogismi simplicis est, in quâ argumentum tertium (*medius terminus*) est pars antecedens (*subjectũ*) in utrâque præmisâ, *h. e.* in propositione & in assumptione, cum conclusione semper particulari.

2. Modi ejus sunt octo: Duo universales; *Darapti Felapton*: Quatuor particulares, *Disamis, Datisi. Bocardo, Ferison.* Quibus adduntur duo singulares sive proprii.

3. Primus modus universalis affirmatus est *Darapti*, qui habet universalem propositionem & assumptionem, conclusionem particularem affirmatas. ut,

Da *Omnis fides in Christum beat.*
ra *Omnis fides in Christum est donum Spiritus S. E.*
pti. *Quoddam donum Sp. S. beat.*

4. Secundus modus negatus universalis est *Felapton*, qui propositionem habet universalem negativam, assumptionem universalem affirmativam; conclusionem particularem negativam. ut,

Fe *Nullum approbrium in Spiritum S. remittitur.*
la *Omne opprobrium in Sp. S. est peccatum. E.*
pton. *Quoddam peccatum non remittitur.*

5. Tertius modus affirmatus particularis primus est *Disamis*; qui propositionem & conclusionē habet particulares affirmativas, assumptionem universalem affirmatam.ut,

Di *Quadam charitas est sempiterna.*
sa *Omnis charitas est affectio. E.*
mis. *Quadam affectio est sempiterna.*

6. Quartus modus affirmatus particularis secundus est *Datisi*: qui propositionem habet universalem, assumptionem & conclusionem particulares affirmatas. ut,

Da *Omnis sapiens est laudabilis.*
ti *Quidam sapiens est pauper. E.*
si. *Quidam pauper est laudabilis.*

7. Quintus modus Negatus particularis primus est *Bocardo*; qui propositionem & conclusionem habet particulares negativas, assumptionem universalem affirmativam.ut,

Bo *Quidam esus carnium, si scandalum affert, non est liber.*
car *Omnis esus carnium est indifferens. E.*
do. *Quadam res indifferens non est libera.*

8. Sextus modus Negatus particularis secundus est *Ferison*; qui propositionem habet universalem negativam, assumptionem particularem affirmativam, conclusionem particularem negativam. ut,

Fe *Nullus Pharisaismus est dignus cœlesti vitâ.*
ri *Quidam Pharisaismus est justitia. E.*
son. *Quadam justitia cœlesti vitâ non est digna.*

9. Septimus modus seu specialis primus est proprius affirmatus, qui constat omnibus partibus affirmatis. ut,

Abel est pressus cruce.
Abel est sanctus. E.
Quidam sancti sunt pressi cruce.

10. Octavus modus seu singularis secundus est proprius negatus, qui constat propositione & conclusione negatis, assumptione affirmata. ut,

Paulus

Paulus non fuit rejectus à Deo.
Paulus fuit Israëlita. E.
Quidam Israëlitæ non sunt rejecti à Deo.

Tertiæ figuræ sunt hi
CANONES.

1. In tertiâ figura argumentum tertium sit antecedens in utraque præmissâ.
2. In tertiâ figurâ assumptio semper sit affirmata.
3. In tertiâ figurâ semper fit processus à specie ad genus. *Itaq;*
4. In tertiâ figurâ conclusio debet semper esse particularis aut propria, nunquam universalis.

CAPUT XVIII.

1. SYLLOGISMUS COMPOSITUS est, in quo tota quæstio est pars altera propositionis cõpositæ: argumentum (*tertium*) est pars reliqua, quæ semper assumitur.

2. Assumere hîc est, ita repetere in assumptione alteram propositionis partem, sicut erat in ipsâ propositione majori disposita, affirmantem sc. affirmatè, negantem verò negatè.

3. Tollere verò est specialiter contradicere, hoc est, quod in propositionis parte aliqua affirmatur, negare; vel quod negatur, affirmare: ut, *Aut fide justificamur aut operibus. At non justificamur operibus. E. fide.* Hic in assumptione tollitur sive negatur consequens, quod in majori fuit affirmatum.

Ejus sunt hi generales
CANONES.

1. In Syllogismo composito semper necesse est totam quæstionem esse alteram propositionis partem; argumentum verò tertium alteram.
2. In Syllogismo composito propositio semper sit affirmativa, nunquam negativa.
3. Tertium argumentum seu medius terminus semper est assumptio, & altera pars propositionis, ex qua sumitur.

 4. Syl-

4. Syllogismus compositus est vel Connexus vel Disjunctus.

5. SYLLOGISMUS CONNEXUS est Syllogismus compositus, cujus propositio est connexa. Connexiva autem propositio est, quæ habet appositam conjunctionem *Si*: quæ & *conditio* dicitur.

Ejus sunt hi CANONES.

1. In Syllogismo connexo evidentius signum est particula connexiva *Si*: sed tamen syllogismus connexus est etiam absque conditionali illâ. ut, *Orto sole necesse est in hemisphærio etiam diem esse. Sed jam ortus est.* E. pro eo. *Si sol ortus est. Postquam homo privatus est imagine Dei, non amplius eam habet.* i.e. *Si homo.*

2. Interdum propositio in connexis constat relatione temporis sine conjunctione illâ Grammaticâ. ut, Quando homo currit movetur. *Sed currit. E. i. e. Si homo currit.*

3. Nonnunquam dispositio Syllogismi connexi est cryptica & contracta. ut, *Si Deus est animus, ut certè est, nobis colendus est.*

6. Estque duorum modorum primi vel secundi.

7. PRIMUS MODUS Syllogismi connexi est, qui assumit antecedens & concludit consequens. ut, *Si Petrus credit salvabitur. Sed Petrus credit. E. Petrus salvabitur.*

Compendium sive λογόπορον concludenti in hoc modo per certas formulas adhiberi potest: ut, *Sed illud: igitur hoc. Sed prius est verum: E. & posterius. Verum antecedens. E. & consequens.*

Connexi primi modi est hic

CANON.

In Syllogismo connexo primo à positione (*assumptione, repetitione in assumptione*) antecedentis ad positionem (*conclusionem*) consequentis V.C. At non contrà. A positione seu assumptione consequentis ad positionem antecedentis valet consequentia. ut, *N.V.C. si Mopsus est doctus est homo. Atqui est homo. E. est doctus.*

8. SE-

8. SECUNDUS MODUS
Syllogismi connexi est, qui tollit consequens, ut tollat antecedens. ut. *Si per legem justificaremur tum Christus frustrà mortuus esset. Sed Christus frustrà mortuus non est. E. per legem non justificabimur.*

Λογιστέον seu compendium concludendi hîc est: *Non hoc: Ergò illud. Secundum falsum: Ergò & primum. Consequens falsum: Ergò & Antecedens.*

Connexi secundi est hic

CANON.

A remotione (*destructione*) consequentis ad remotionem (*destructionem*) antecedentis valet consequentia. At non contrà: A destructione antecedentis ad destructionem consequentis V. C. ut, *Si est homo, est animal. Sed non est homo. E. non est animal.*

CAPUT XIX.

1. SYLLOGISMUS DISJUNCTUS
est Syllogismus compositus, cujus propositio est disjūctiva. Disjunctiva est, quæ habet præpositam particulā disjunctivam, *aut, sive, vel*, hisq; æquipollentem aliam.

Ejus sunt hi generales

CANONES.

1. In Syllogismo Disjuncto propositio sit partibus omnibus affirmata. ut, *Aut ex lege justificamur, aut ex fide. Sed non ex lege. E. ex fide.*

2. In Disjuncto membra sint necessaria & immediata.

3. In Disjuncto membra non sint subordinata.

4 In Disjuncto omnia membra perfectè & plenè enumerentur.

2. Syllogismi Disjuncti modi sunt duo: primus Generalis, secundus Specialis.

3. GENERALIS sive
Primus modus Syllogismi disjuncti est, qui tollit unum, & reliquum concludit, hoc est, qui sive posterius negat tanquā falsum; alterū verò in conclusione tan-

tanquam verum concludit. ut, *Aut fide justificamur, aut operibus; At non operibus. E. fide.*

Disjuncti primi modi sunt hi

CANONES.

1. In Disjuncto primi modi Assumptio semper esto negata; Conclusio autem affirmata. ut, *Aut dies est, aut nox est. Sed nox non est. E. dies est.*

2. A remotione unius ad positionem reliquæ partis V. C.

Stuprum afferens virgini, aut ducat, aut dotet.
Non ducet. E dotabit.

4. SPECIALIS sive secundus modus Syllogismi disjuncti est, qui assumit unum & tollit reliquum: *hoc est*, qui è membris propositionis unum in assumptione affirmat, sive prius, sive posterius, reliqua in conclusione negat. ut, *Aut fide justificamur, aut operibus, aut utroque. Sed solâ fide justificamur. E. nec operibus nec utroque simul justificamur.*

Ejus sunt hi

CANONES.

1. In Syllogismo disjuncto secundi modi assumptio semper esto affirmata; conclusio sit negata.

2. A positione unius ad destructionem aliarum partium valet consequentia.

CAPUT XX.

1. SYLLOGISMUS CRYPTICUS

est, cujus naturalis dispositio certis crypsibus occultatur vel immutatur.

2. Estque triplex, Enthymema, Prosyllogismus, & Syllogismus inversus.

3. ENTHYMEMA

est Syllogismus imperfectus, cui pars aliqua deest, sive sit propositio, sive assumptio, sive conclusio.

4. Enthymema Syllogismi simplicis est, cùm vel antecedens, vel consequens pars conclusionis repetitur in ante-

antecedente Enthymematis. ut, *Tyrannis est violenta. E. Tyrannis non est perpetua. Bona sunt expetenda. E. & virtus est expetenda.*

6. Enthymema Syllogismi compositi est, cùm neutra pars conclusionis repetitur in antecedente Enthymematis, & fit solùm ex assumptione & conclusione. ut, *Virtus est appetenda. E. vitium est fugiendum.*

7. *Enthymemati subjicitur Inductio & Exemplum.*

8. INDUCTIO

est Syllogismus imperfectus, in quo ex collectione singularium infertur universale; ut, *Grammatica usu comparatur: Rhetorica usu comparatur: Item Dialectica, Arithmetica. E. omnes artes usu comparantur.*

Inductionis sunt hi

CANONES.

1. Inductio debet colligere omnia singularia.
2. Inductio debet vacare omni æquivocatione.
3. Fundamentum consequentiæ in inductione est, 1. Quod individuorum collectio nihil aliud est, quàm generalis enunciatio. 2. Quod partes simul sumptæ sunt realiter idem cum toto.

9. EXEMPLUM

est Syllogismus imperfectus, quo singulare unum per aliquod ejusdem generis singulare propter similem rationem confirmatur: *seu:* quâ quæstionis singularis medium (*argumentum Tertium*) sumitur ab exemplo singulari. ut, *Israëlitæ puniti sunt propter idololatriam & scortationem. E. & nos puniemur. Abrahamus fuit fide justificatus. E. etiam credentes alii.*

Ejus sunt hi

CANONES.

1. De exemplis paribus & similibus idem est judicium.
2. In exemplis necesse est, ut individua sint ejusdem generis, *hoc est*, contineantur sub aliquo simili & universali. *Itaq;*
3. Cùm dissimilis est factorum, personarum & cir-

cumſtantiarum ratio, non V. C. ut: *Paulus perſecutor Ecleſiæ fuit receptus in gratiam. E. & Iulianus Apoſtata.*

CAPUT XXI.

1. PROSYLLOGISMUS

eſt crypſis Syllogiſmi, cùm præter propoſitionem, aſſumptionem & concluſionem Syllogiſmi principalis aliquid accedit.

2. Eſtq; vel amplificans ſaltem, vel approbans.

3. Proſyllogiſmus amplificans eſt, quo vel propoſitio vel aſſumptio, vel concluſio amplificatur ad occultandam artificioſam diſpoſitionem. ut, *Turbatus non bene utitur ratione. Sicut enim oculus turbatus & reliquæ partes corporis totumq; corpus à ſtatu motum deeſt officio ſuo.*

Sapiens autem optimè utitur ratione Sicut animi munus eſt ratione rectè uti. Nunquam igitur perturbatus eſt.

4. Proſyllogiſmus approbans eſt alicujus præmiſſæ in principali Syllogiſmo, quæ in dubium vocatur, vel vocari poſſit, approbatio. ut, *Imago Dei eſt immortalis. Nam mortale non poteſt eſſe imago immortalis. Anima eſt imago Dei, quia Moyſes hominem ad imaginem Dei creatum eſſe ait. Anima igitur eſt immortalis.*

5. Ad Proſyllogiſmum pertinet Sorites & Dilemma.

6. SORITES

eſt Syllogiſmus imperfectus, in quo per enthymematicam progreſſionem præmiſſæ plures coacervantur ita, ut ex parte primæ & ultimæ fiat concluſio. ut,

Quod bonum eſt, id eſt optabile:
Quod optabile eſt, id eſt expetendum:
Quod expetendum eſt, id eſt laudabile:
Quod laudabile eſt, id eſt honeſtum. E.
Quod bonum eſt, eſt honeſtum.

Soritæ ſunt hi

CANONES.

1. Sorites ad minimum conſtabit enunciationibus quatuor.

2. Omnes Soritæ debent eſſe affirmati. *Itaq;*

Soritæ

Soritæ negativi sunt vitiosi.

3. Si una Soritis propositio sophistica, fortuita vel falsa est, totus Sorites negatur.

7. DILEMMA

est Syllogismus imperfectus, quo quęstio duobus argumentis immediatè contrariis, quorum alterum adversariis concedere necesse habet, concluditur: utrumvis autem adversarius concesserit, cōtra eum concluditur.

Ejus modi sunt duo.

9. Primus modus est, cùm in principale Syllogismo utrumque argumentum cōtrarium, cum quæstione ita disponitur, ut utroq; negato quæstio negetur, & altera præmissarum dubia prosyllogismo, quo utrumq; argumentū concluditur, approbetur. ut, *Si homines possunt legem Dei implere, aut electi eā implebunt aut reprobi. Sed nec reprobi implent eam, alioqui non damnarentur: nec electi, alioqui nō opus esset iis morte Christi. E. nulli homines implent eā.*

10. Secundus modus est, cùm in principali Syllogismo alterum tantùm argumentum contrarium cōcluditur, prosyllogismo autem præoccupatur & refutatur illud argumentū, quod adversarius contra assumptionem tanquā contrarium objicere poterat. ut, *si Titius improbus est, cur eo tam familiariter uteris? sin probus, cur eum accusas tam graviter?*

CANON *de Dilemmate.*

Si contraria, quæ disjunguntur in Dilemmate, sunt immediata, & utrumq; est verum, & utrumq; non facit pro adversario, Dilemma firmum est.

CAPUT XXII.

SYLLOGISMUS INVERSUS

est Syllogismus crypticus, in quo ordo naturalis partium invertitur & transponitur.

Quicquid est spiritus, in spiritu etiam colendum. E. & Deus est colendus. Quia Deus est Spiritus. Hic asumptio ponitur post conclusionem; *Homo est ratione præditus. E. est animal ratio-*

rationale. Nam quicquid ratione præditum eſt, illud eſt animal rationale. Hìc propoſitio ponitur loco concluſionis.

Ejus eſt hic

CANON.

Ut ſingula ordine judicentur in Syllogiſmo in hujuſmodi partium trajectione pars quælibet in naturalem artis locum redigenda eſt, propoſitio ſc. in primum, aſſumptio in ſecundum, concluſio in tertium.

Tantum de ſyllogiſmo ejuſdemque affectionibus, ſupereſt Methodus.

CAPUT XXIII.

1. METHODUS eſt dianoia variorum axiomatum homogeneorum à generalibus ad ſpecialia procedens.

Ejus ſunt hi generales

CANONES.

1. Proceſſus Methodi ordinem rerum naturalem imitetur. Naturam enim in ordinando ſequimur.

2. In Methodo præcedant. 1. naturâ priora. 2. ſimpliciora. 3. notiora, manifeſtioria, clariora. 4. generaliora, univerſaliora, communiora: ſequantur naturâ poſteriora, compoſita, obſcuriora, ſpecialiora.

3. Membra Methodi ſint varia, ſed tamen finita & determinata.

4. Methodi membra omnia ſint homogenea.

5. Methodi membra tranſitionum forma ſeu vinculo legitimè connectantur.

6. In Methodo nulla pars deſit, nulla ſuperſit.

7. In Methodo non immiſceantur declarationes ex aliis; neque axiomata negata, atque tributa communia ponantur.

2. Methodus naturaliter eſt unica tantùm, modi verò ejuſdem diſtincti ſunt varii.

5. Eſt vel Univerſalis vel Particularis.

4. UNIVERSALIS eſt, qua integrum diſciplinæ (*ſcientiæ, artis*) alicujus Syſtema legitimè diſponitur.

6. Me-

6. Methodus SYNTHETICA est, quæ ab universali ad particularia, & à simplicibus procedit ad composita. *Talis est in scientiis Theoricis, utpote Physica, Metaphysica, Mathematica.*

7. Methodus ANALYTICA est, quæ procedit à fine ad principia, à compositis ad simplicia.

Talis est in disciplinis practicis, utpote Ethica, Medicina, Architectonica, aliisq; artibus operatricibus.

CAPUT XXIV.

Methodus particularis est, qua certum aliquod & speciale thema disponitur.

2. Estque vel thematis Simplicis, vel compositi.

3. Methodus thematis simplicis est, quâ thema simplex legitimè tractatur.

4. Methodus thematis conjuncti est, quâ thema conjunctum legitimè pertractatur.

FINIS.